THOMÆ DRANTAE ANGLI ADuordingamii

PRAESVL.

Eiuſdem Sylua.

1

Approbatur ad normam præſcripti regij.

AD PRÆSVLEM SVVM CARmen Iambicum monocolon monoſtrophon.

ANtiſtites malos liber quid increpas?
Quid aut malus miniſter ore carpitur?
Quid hoc bonos miniſtros quod ſic euehis
Tot laudibus, lautiſq́, tam præconijs?
Vis non ſequi vias librorum publicas:
Blandirier malis, proboſq́, rodere?
Multi mali, pauci boni, vexabere
Niger nimis, mi, mi liber, quo, quo fugis?
Sed ito, nam mali te vix intelligent:
Binos bonos plus mille prauis eſtima.
Te voce qui terit facit deterrimè:
Non tu viros, ſed ſola taxas crimina.

¶ EDMVNDO GRINdallo Cantuario Archipræſuli, lectiſsimo, & excultiſsimo, doctorum proborumq́ hominum propugnatori ſtrenuiſſimo, & patrono perindulgentiſsimo, Thomas Dranta Archidiaconus Luuetius pacem, & gratiam à DEO Patre, per Chriſtum Dominum noſtrum. &c.

ILLVXIT AD extremum dies ille reditionis tuæ (Præſul honoratiſsime) nõ ſolùm mortalibus quamplurimis exoptatiſsimus, & iucundiſsimus, ſed tùm Reipub. tùm Eccleſiæ Chriſti, vt ſpero, impoſterùm tam propter eius ſuauiſsimam recordationem pręluſtriſsimus, quàm propter indies alias, atque alias prouenturas vtilitates fructuoſiſsimus, tùm ad decus, & condecentiam morũ, rituumquè auſpicatiſsimus, & florentiſsimus. Nunc ſanè non ſemper à prodromis, & præcurſoribus cras, aut perindiè affuturum Grindallum ſollicitè eſt inaudiendum, ſed exhibuit te tandẽ nobis Deus opt. Maxim. ſoſpitem, & incolumem: quiquè te mæſtificis, & triſtiſsimis oculis illuc proficiſcẽtem intuebamur, nũc lætiſsimi, & quaſi ouantes ſic ἀπάντησιν exceptum, tot amicorum, & clientum corona, & frequentia concomitatum, tot meritorum, & rerum probè geſtarum ſplen-

dore præfulgentem, præsentes præsentem conſpicimus,& contemplamur. Perdulcis profectò,& perbeata lux iſta eſt, quamque nos gratiſsimis luminibus vſurpamus, cùm te patronum amantiſsimum alius, alius aſſertorem fortiſsimum, Paſtorem alius vigilantiſsimum, alius amicum coniunctiſsimum, præconem alius eruditiſsimum, herum alius benigniſsimum, heroëm omnes peringenuum, iudicem ſolertiſsimum, & æquiſsimum, Archipræſulem ſapientiſsimum, virum vndiquaque peroptimum, & modeſtiæ, Sanctimoniæ, & doctrinæ commendationibus & prçconijs cumulatiſsimum agnoſcant, & conſummatiſsimum.

Ego quoque porrò quod potui, Pater, qui abſentia tua iam aliquantulum irraucuëram, nimioperè ferè fortunatiſsimo tuo aduentu recreatus, & erectus Præſulem meum ad Eccleſiæ noſtræ maculas eluendas, & vitia extirpanda deſudauerim, & confecerim. Verumenimuerò cùm opinione mea feſtinantiùs tu quidem, & maturiùs acceſſeras, huius mihi Libri interpolandi occaſio intercepta eſt, moræquè planè prçreptæ. Neque valdè fortaſsè diutius in ea coërcenda hærere fuiſſet operæprecium, ſunt enim ſæpenumerò lucubrationes noſtræ non tam lima, & ſtudio magis abruſæ, & perpolitiores, quàm depectiores, & abſtruſiores, nec tam libros noſtros (manum de tabula tollere neſcientes) emendamus, & expingimus: quàm imminuimus, & exterimus. Affinxi & ſyluam meam, id eſt, Carminum, & Odarum ad Proceres, & alios

ſtruem

ſtruem & cumulum, in qua quidem ſuppetunt nonnulla, quæ ad pietatem, patientiam, ingenij cultum parandum, candorem, ingenuitatem, nobilitatem, decus, magnificentiam mortales præſtantiores & adhortantur, & efforment. Tria verò mihi vitio dabuntur, & vertentur, (vt exputo:) Principiò, quod Præſulis noſtri inſtituendi argumentum carmine ſum complexus, tùm quod candidiores iſtos in religione apertiùs improbo, Vltimò, quod tempora virtuti, & ingenijs inimica, malaſquè in Eccleſiam artes obreptas, & graſſabundas noto, & vitupero.

De carminibus ſatis, iam ſatis in Iobiãde mea ad Principem Præcellentiſs. reſponſum eſt. Eſt ſiquidem carmen tam rerum ſanctiſsimarum capax, quàm pedeſtris, & reſoluta oratio, habet enim peringentes efficacitates ad omnes animi motiones, & impulſus. Quinimò & ij qui ſacra carminibus concinnant, tam ſunt Theologi, quàm qui verbis vtuntur liberis, & fluentibus. Flagrabant, & florebant hoc ſtudio Iobus, Dauides, Solomon, Iſaias, & ipſe etiam Legiſlator Moſes, & perpulcherrima illi quidem, & auguſta eius rei monumenta in Sanctiſsimis, & cœleſtiſſimis eorum Libris immortalitati conſecrarunt. Extiterant ipſi tamen carminum cultores ſua lingua tunc temporis lautiſsimi, Theologi nihilominus longè, longequè Sacratiſsimi & ſolidiſsimi. Neque enim quantò quiſque melior Poẽta eſt, tãtò peior eſt & Theologus, ſed addit ſtylo apparatũ, & menti calorem, & diui-

nitatem carminum modulatio, & scientia. Fulget hodiè apud nos Theodorus Beza, apud Romanistas Arias Montanus, vertuntquè, & scribunt tantò felicius & argutius, quantò veteres, & latiniores Poëtas industriùs lectitarunt, & accuratiùs se carminibus pangendis expoliuerant. Quis vnquam de Deo, & de eius ingenio, & rebus gestis, de proborum & improborum in hoc mundo cõditione Iobo doctius perorauit? Quis Odas Dauide, Historiam Lucano, Cosmographiam Hontero, Astronomiam Iouiano Pontano veriùs, & laudabilius pertractauit? Prodiderunt illi tamen sua omnia carminum cothurnis & inuolucris, erantquè cæteris artibus, & multiplici sapientia cultissimi, & instructissimi. De nouatoribus verò istis, & in religione mundioribus, quos Milleuiros in Præsule meo appellaui, cauẽdum tibi præcipuè putaui: tùm quòd eorum alij longè peruicacissimi, & turbulentissimi sunt, tùm quòd Senatus eorum ecclesiastici, nisi ego sum prorsus occœcatus, penitùs huic regno erũt infrugiferi & fatales. Mõstri enim simile est, vt illi, stante, & florente magistratu, sua Orchestra, & tribunalia, suos Areopagitas, & Seniores subortiãtur. Habent illi proculdubiò in Antimonia illa sua multa importuna, & perinsulsa: tùm illud de imperiosis, & fulminantibus eorum Synedrijs, & senatibus nimis exitialiter ad magistratuum demolitionem architectati sunt & ementiti. Summis ergò, & veris laudibus prudentissimã principem Elizabetham in extremo Præsulis mei epilogo extuli, & prosecutus sum: quòd

quòd hanc doctrinæ eorum de ſenatoribus Eccleſiaſticis introducendis partem tam ſeriò cauet, & tam ſemper exhorreſcit. Perfecit idcircò amor meus erga illuſtriſsimam,& chariſsimã reginam ſynceriſsimus,& officium intimum, vt illud illi fatiferum Senatulorum theatrum diffringendũ,& deturbandũ indicerem,quòd illi tot manibus, tot exantlatis ſudoribus, tot machinationibus,& molitionibus apud omnes mundi mortales erigi, & eminere concertant. Cũquè te ſemper, & vnicè diligebam, & obſeruantiſsimè ſum veneratus, tibi, Archipræſul, & ſuaſor ſum, & author : vt ſenatus eorũ moroſiores, & ridiculos, (niſi quid neruoſius, & compertius ediſſerant)ab hoc inclyto,& pacatiſsimo regno quo digni ſunt,cũ ſuis myſtagogis,& conſcientiarũ tyrannis,ableges,& amandes. Neuè eorũ cohortulas, & conuenticulas clandeſtinas in municipia, & cœtus frequentiores coaleſcere,& proturgeſcere patiare. Cogitandum tibi etiam atquè etiam eſt,quid cuiuſquam petitionibus,& amicitijs deferas,continuò tibi ob oculos obuerſetur euangelium pacificè propagandum, principis animus, & ſtudium de tranquillitate Eccleſiæ beatiſsimum, paradoxi illius tetrici abſurditas, & indignitas,per quos,& à quibus, & quamobrem doctrina illa promouetur,& patrię noſtrę,velimus,nolimus, obtruditur. Interturbabis tu illos optime,eorumquè conatus omnes, & audaciam in nihilum rediges, ſi certi quid apud te ſtatuas, idquè ſartum tectum tueare, & conſerues: ſi Heroico, & robuſto pectore eorum rumo-

res ἀδιαπτώτους ſannas, cachinnos, execrationeſquè infimas ne teruncij quidem ſtans, ſedenſvè facias. Vtere ſeueritate, quantum potes leni, ſed vtere tamen, illud verò præcipuè, & anxiè apud te cogita, vt ſingula, & omnia apud nos decorè & ordine perpetrentur, & peragantur. Sic enim multum Euangelio lucrifiet, ſi omnia quàm ſyncerè & rite adminiſtrabuntur. Adfert & Præſul iſte meus, quæ & tu apud te reputes, quæque etiam factis, & iuſsis exſequare. Hæc ferè iſtiuſmodi ſunt. Valdè ſollicitè excludendos perfore ab introitu ad miniſterium adoleſcentulos, illiteratos, ſordidi loci, atque ordinis homunculos: Præbendarum, Sacerdotiorum, emolumentorum & redituum Eccleſiaſticorum nundinationes, & mercaturas è medio tollendas, & quoquo gentium amoliendas: ad dignitates, & honores in Eccleſia ingenio, ſudore, doctè, tempeſtiuè & meditatè concionando, acriter, & appoſitè diſputando, laudabiliter & ſolerter ſcribendo, Eccleſiæ Dei ſapientiſſimè inſeruiendo: non verò ſordibus, obſequijs, ore, graſſatione, vultu, eblanditis patrocinijs, rerum apparatu, famulitijs floridulis, aut venundando ad ſedes celſiores, & dignitatum apices adſpirandum. Bardos, & inertes ad ſuas officinas relegandos. Ambitiosè circumuolitantes cum ſuo auro, & mammone arguendos, & reprimendos. Audaculos, linguatiores, ſemidoctos, & pro tempore politos: ſolidè doctis, verè laborioſis, diuturnis ſudoribus actis, laudibuſquè perfūctis ſecernēdos. Virtutem, & merita mortaliū ſola æſtimanda.

da. Prauos pœna, bonos præmio afficiendos, optimis optima immota lege impertienda. Modeſtiam & honorũ fugam petacitati, & πολυπραγμοσύνη anteferendã. Præcones literatiores fouendos: eorum rem ab aſtutis, & famam à maledicis aſſerendam. Miniſterium perpurgandum, & reficiendum, eorumquè contemtum antiquandum, litterarum cultoribus indulgentiam rerum neceſſariarum offerẽdam & exhibendam. Miniſtros à ſtudijs & anxietatibus ſecularibus partim auocandos: partim releuandos: cœnum, & corruptelas morum propulſandas: Pietatem, & probitatem in ſolidum aſtruendas, & reſtaurandas: conſanguinitatibus & affinitatibus in emolumentis ſacris nimioperè non indulgendum.

Hæc ferè illa omnia ea ſunt, quæ meus Præſul tibi hactenus cantauit, Pater, quæque etiam candidiores iſti vna nobiſcum vbique hodie apud nos vigere, & inualeſcere nimis profectò verè aſſeuerant, & prædicant. Nihil autem vſpiam tua virtute exploratius, aut illuminatius. Quantus enim tu, & qualiſnam moderator extiteras, iamdudum & te fruendo, & carẽdo præſentimus. Perforti igitur in poſterum & conſultiſſimo animo indeſinenter eſſe oportebit. Quantum enim harum tempeſtatum labibus, & auiditati plus inimicabere, tantò tibi plures ſemper concitabis & irritatiores & ſtomachatiores. Difficile planè eſt quod ſuſcipis, quodquè tuis humeris præſtandum imponitur, & magna duntaxat cum conſtantia, perſpicacitate, & induſtria

induſtria exantlandum erit,& abſoluendum. Sed nuſquam locorum niſi è difficultatibus laus naſcitur, & expullulat. Habes ſymmiſtas omnes tui ſtudioſiſsimos,& præcolendiſsimos. Aderimus tibi indefeſsi,& indiuulſi animis,votis,& voluntatibus. Elargietur tibi pater cœleſtis,per Chriſtum filium,& deſiderium ad inchoationem, & vim, roburquè ad peractionem. Splendebis,& eminebis tùm apud nos, tùm apud exteros, tam præſentes, quàm poſteros,famulus Dei maximi deuotiſsimus, ſubditus reginæ orbis terrarum celeberrimæ obſecundantiſsimus, literatorum hominum aſſertor beneficentiſsimus, eccleſiæ doctor fama diuulgatiſsimus, patriæ lumen, virtutis & ingeniorum præſidium, Præſulquè,& Archiepiſcopus omnibus ſuis numeris inſtructiſsimus,& completiſsimus.

THOMAE DRANTAE
Angli Præsul.

ANGLORVM vel tu* moderãdo restitues rẽ,
Informes vitæque vias, & rupta decori
Reddes iura, pater, vel nullis vulnere sano
Temporibus claudet sese coitura cicatrix.
Ioua veni nostróque nouum de gutture carmen
Funde memor, da Ioua decus memorare regentûm
Christicolas animas, da versu flumina ditis
Eloquij, cælóque sacer præcordia flamma.
* At vos, ô, ductor numerus, pecudúmque magistri
Læsi animis, inopesque spei, queis enthea corda
Segnius ignescunt, nimijs offusa procellis:
Et tu culta cohors, torpens Academica proles
Neglectu, calcata caput, dispectáque nomen
Non vltra langueſce diu, fidentior vrge
Nobile propositum, stadióque excurre superno,
Ardores succende nouos, maiorque medullis
Feruor eat, pulsúsque dolor de corde facessat.
Huc age musarúmque cliens, & quicquid vbique est
Doctorum, concurre lubens, sortique benignæ
Gratantes applaude manus, concorditer amplis
Excipe Grindallum studijs, & gnauiter alta
Mente preces itera, multumque, & multa voluta
Vota fauens, faustisque viri fare omina fatis.
Tuque etiam, sacrate heros, qui gaudia caulis,
Qui gregibus pacem, cultum pastoribus ipsis,
Huc latare venis, tua nunc altissima virtus
Difficili posthac sese tentabit * arena.
Innumeros habet intuitus, testesque videndo

* Magnam ecclesiasticæ dignitatis recuperandæ spem in Archipræsule isto sitam esse.

* Debent verbi administri, & academiarum cultores huius aduentu releuari, & alacriores ad virtutẽ fieri.

* Plurima ab Archipræsule cautius deuitanda & enanda.

Et ſatrapas, ciueſque vrbis, regnique popellum,
Doctorumque genus, recto placabile tantum.
Hei mihi quot Scyllas adnabis quotque Charibdes?
Te quota multorum tentabunt munera dantûm
Delitiæ, luxuſque tepens, cænæque fluentes.
Quot procerum ſcriptis, quot tu feriere petitis?
Te ſemper famuli, ſemper tua pectora noti
Delinient, pictæ ſemper tectoria linguæ,
Fictus amor ſemper, mentitáque fabula ludet.
Aula iubet, vult vrbs, plebs importuna fatigat.
*Ac velut aëreis innata in montibus * ornos,*
Arboreis vmbroſa comis, robuſtáque ramis,
Hinc Boreas, illinc Eurus, ſtridenſque procellis
Incubat inde Notus, manet hæc radicibus altis
Inconcuſſa ſolo, truncóque adfulta valenti
Se leuat, irati perdunt ſua numina venti:
Haud ſecus impetiëre, pater, tua robora mentis
Eualeant, hic eſto frequens, multuſque recurſet.
Mox ſenij claudentis honos, & fama ſuperſtes.
E menſa eſt via multa æui, longíque laborís
Hic ſupremus apex, tibi viuitur vltimus actus.
Aut nunc, aut nunquam patriæ ſplendeſce theatro,
» *Scilicet à ſummis pendent quæcunque priora,*
» *Nec meruit plauſum qui ſe non ſine probauit.*
Ordior excultum verſu formare Dynaſtam,
Ductoréſque ipſos ad flumina ducere recti,
*Et tua centenos quamuis * ſapientia poſſit*
Imperijs agitare orbes, cæcuſque viarum
Calles ipſe cano, ſi quid tamen aſpice fundam
Quod proprium feciſſe voles, & promptior audi.
Et tu gemmanti noſtram Iobiada dextra
Quæ. * *Elſabetha capis, quæ tum quoq́, capta legendo*
Eſſe ferebaris, verax ne deſpice carmen,
Quod vates, præcóque Poli de præſule pango.

*Simile ab arbore vētis agitata.

* Poſſunt enim & ſo lertiſſimi, & perſpicaciſſimi interdum quædam à minus pru dētibus edoceri.

* Regina.

Mæce-

Mæcenas * *Dudleie potens, sollérsque cicille*
Vos sapite hæc mecum, tum vos tumque aurea princeps
Plurima pollicíti vitæ lenentia curas.
Ast ego vel segnis, vel vos oblita canentûm
Pectora gestatis, me, me tam celsa minantem
Sic dabit elinguem rerum non commodus vsus.
Tu quoq; Buckhurſti, qui me tam sæpè labantem
Voce leuauiſti, dictis solatus amicis:
Sum * *rudis ad quæstum, nosti, tarduſq; mearum*
Prouisor rerum, nec cum famularer in aula
Vt locuples fierem, placuërunt otia, liuor,
Improbulæq; preces, lentus respectus honesti,
Obsequium grassans, & vota petacia, rarò
Purus honos doctis, ego te tamen auspice veni,
Et vidi certamen opum, vicêre potentes
Diuitijs, audaxq; tulit non vltima vultus.
Me libros reptantem inter, genioq; pudentem
Fata dabant, voti modicum, sic iussit Apollo,
Sic musæ, sic vita virûm laudata priorûm.
Simplicitas summis quondam pretiosa patronis
Enituit, largo ditata modestia censu,
Ingenium palmis: stabant sua dona merenti.
Huc age, sit * *qualis, quanto decorumq; nitore*
Antistes rutulet noster, moderamine turmas
Quo regat enormes, & conspiciatur ab alto
Fabor, & in curtas compingam munera chartas.
Principio, an par sit Christi fulgere ministros
Tam solijs celsis, animarum summa tenere,
Pascere pastores, pastorum patribus æquum
Dicere, præclustri & rerum ditione potiri
Quæsitum est, & * *lis etiam sub iudice feruet.*
Sunt quibus vtilius longè, potiusq; putatur
Consulere in medium multos, vt villa senatu
Quæq; suo, plebs quæq; suo præcone fruatur.

* Comes Leiceſtriꝰ.

D. Buckhurſtius.

* Se ineptum eſſe ad circuitiones Aulicas, & rẽ obſequijs faciẽdam.

»
»
»

* An ſit, & qualiſnam eſſe debet præſul.

* Volunt enim, & digladiantur candidiores quidam in religione Archiepiſcopum omne vltra Gauromatas ablegãdum.

Primitus hoc hauſtum referunt, ſic vſq; ſonare
Scita Dei, ſic exemplar, & priſca regendi
Iura greges, paſtorq; ſuus, propriuſq; ſenatus
Omnia decernat, populo mandetve, vetetve,
Deprimat, attollat, feriat vel fulmine ad vmbras,
Ominibuſue beet fauſtis, arcana latebris
Propalet abſtruſis, & ſe det ſenſa magiſtro.
Altera pars rebus conterrita ſæpe nouandis
Hæret, & abduci non vult pietate ſiniſtra.
Omnia Apoſtolicis quondam manantia ſectis,
Et Chriſtus quæcunq; ſui quæcunq; legati
Sanxerunt pro re, crudo pro tempore rerum
In noſtros nunc ire dies, regimenq; caducum
Abnuit æternum, patres numeratq; vetuſtos,
Dicta Dei, rituſq; ratos, ſynodumq; ſtatuta,
Doctorum placita, & rationem deniq; ſummam.
* Nos ratiocinationes eorum ſic ex abſurdo abſtergimus.
*Omnia * ſi mundi durant decreta prioris,*
Semper euangelium protritum regibus eſto,
Nec ſceptris gratum, nulluſq; auditor in aula
Hauriat immenſi vocalia nuncia Chriſti.
Nec ſunto delubra Dei, nec præmia ſtanto
Doctori, nec ſit rerum non publicus vſus.
Priuatis laribus cæleſtis fercula cænæ
Dide, & priuatis peragantur ſabbata tectis.
Priuatos inter reſonet ſua præco penates.
Fontibus, & fluuijs ſordentes tingue puellos.
* Vir conſtãtiſſim⁹, & perplurimæ lectionis, qui egregio volumine cãdidior, aulam interturbauit, & conuulſit.
Oſcula vir da ſacra viris, da fæmina labris
Oſcula fæmineis, rector nec maximus eſto,
Qui tollat ceruice caput, collumve capiſtro
Illiget, vltore at plectat patrata lacerto.
Parcite paſtores rerum temerare nouatu
Primorum conſulta patrum, ſtabilitaq; rixis
*Exagitare nouis clamat * Vitegiſtus, & artis*
Egregius, perlectorum locupleſq; librorum.

Pergite

Pergite paſtores recti fulcire ruinam,
Iuſq; retro reuocare vetus quod fixit Ieſus,
Quod Petrus, & Paulus, paſtor nec maximus eſto,
Sit frater parilis fratri, cultuq; miniſtri
Sonto pares, celliſq; pares, tumuêre ſupremis
Quiq; locis ſemper, titulos abolete ſuperbos,
Eſte humiles fratres, Chriſtumq; referte magiſtrum
* *Carterouitus ait ductor: ſimul affremit ore*
Plebs non pauca ſequax, ſanctæ dictata Genevæ
Sola facit magni, valde iurataq; vergit
Quorundam in voces, quò ſerua inſania ducit
Huc ſalit, atq; alijs credit ſapientula paucis.
Nec tu * *Chaldæa ſi calles commoda linguæ,*
Hebræos iteraſq; libros, & grammata græca,
Et punctis ſapis, & tenui non gutture faris,
Omnia nec neſcis, tetricæ te ruga ſeuerum
Eſſe facit frontis, vox & non multa modeſtum,
Os populi ſanctum, non empta cibaria plenum,
Communes lautum loculi, lætumq; crumenæ,
Sis Deus, & plebi ſummis par cætera diuis:
Non ſic, Carterouite, places, non meta laborum
Hæc pulcra eſt, non ſic bellus fons bullat honoris,
Area non ſancta eſt, non ſic laudabere ſerus.
Si chaos inculces mundo, ſi facta priorum
Omnia duratura velis, ſi cruda recoctis
Anteferas, muteſq; ferox quadrata rotundis.
Ni mage clara crepes, rebus ni nubila demas,
Si nocitura ſtruas, nec quæ reſpublica poſcat
Sæpe ſagax agites, totus iuuenilibus auſis,
*Mole tua totuſq; rues, mundiq; * furores*
In nihilum cedent, vincet Vitegiſtus, & aures
Iam iam demeruit regni, iam diſpulit vmbras.
Vndantes aliquas, nec tu, ſi vincere poſſis,
Gratus eris, ſi non, tua cum victoria gliſcat,

* Candidiorum dux & ſpirargus.

* Carterouitus non tam doctus, & exactus magiſter, vt poſſit vel de candentibus nigra, vel de nigrantibus alba facere.

* Populares aurę, & applauſus, niſi firmiſſimo fundamento nitatur, in fumos facilè abeunt.

Res fluat in melius, certè est tibi perdere tutum:
Ni solidè tanti iam iacta est alea fati.
O bene si velles tantos non voluere casus,
*Et refugas * remeare vias, & pascere notis*
Montibus in nostris pecudes, & pellere docta
Voce lupos stabulis, vitæ & taxare veternum,
Atque herbas monstrare bonas, monstrare nocentes,
Et morbos ouibus, luxatáque claudere membra.
Sunt hic & macræ pecudes, & tabida multas
Inficit ipsa lues, sunt & de gente luporum
Pastores rapidi, pars maior peior, inertes,
Et rerum scioli, poteris prodesse medendo.
Aurea iucundo voluentur tempora cursu,
Grindallus summa residebit puppe magister,
Et pelagi Palinurus erit, doctórque viarum.
Remigio fultus fido per quicquid iniquum,
Horrendum, cæcum, latebrosúmque, auspice Christo,
Nabit, & insani spernet ludibria ponti.
Ille maris suetus, sollérsque retundere fluctus,
Et dubijs clauum rectè versare procellis,
Ille greges nouit, sunt illi pascua curæ,
Sunt quoque pastores, quid non sperare licebit,
*Cum doctor Grindallus erit? * ius fásque virebunt,*
Et pietas, & pulcra fides, morésque pudici,
Et merces meritis, & doctæ gratia fronti.
Carterouite redi, non fallor, dona facessent,
Et nummus, fraudésque malæ, mercánsque minister,
Verna, puer, doctórque opifex, fecésque reiectæ,
Improbus, indoctus, sanctæ non nausea menti
Amplius occurrent, custodes præsul honorus
Hos abiget caulis, hos de præsepibus omnes
Arcebit fucos, doctósque in celsa locabit.
Optime, túque etiam, præsul cui displicet omnis,
Plaudísque, & pedibus Grindallo præsule plaudes.

* Hortatur Carterouitum vt sobrias & solidas propositi sui rationes proferat, aut vt patrium solum reuisat. Posse eum tum voce, tum consilio ec clesiæ rebus subuenire.

* Multas corruptelas, & labes quæ iamdudum inoleuerunt, Grindalli auspicijs eradendas & auferendas.

Vita probat regimen, quid tu noua munera condis,
Si ſat priſca valent? cur quod * *natura reponit,*
Quódque apibus, gruibus donatur ſubdier vni,
Quod ſtatuunt patres, doctor non improbat vllus,
Mos vetus edocuit, Chriſtus non quando refutat,
Hoc tu tam laceras? tantum quid trans mare curris
Vt noua regna crees, regniſque probata refringas?
Segnius vrgetur prouincia credita multis.
Nec culpam refugit ſocios qui criminis adfert.
Semper alit lites, & vilia iurgia diſcors
Supparium numerus. turget niſi ſub duce virtus.
Dux deus in cælis, rex regnis, cætus in vndis,
Ordo polo, pelago, terris, eccleſia Chriſti
Ni chaos admittat popularibus acta monarchis
Carpitur, atque ipſo papatu durius audit.
Quinqueuiros, bis quinqueuiros Romana tulerunt
Secla prius, non multa dies decuſſit vtróſque.
* *Milleuiri noſtri cum mille ſenatibus orbem*
Se validis ſperant torturos ſemper habenis.
Primatus renuunt, nos milleuiratibus vti
Nolumus, occulta coluber ne decubat herba.
Et polus, & tellus, & pontus, & omnia, patres,
Acta patrum, ſenſus, ratio, longæuior vſus,
Et variæ volucres, & bruta armenta ferarum
Eſſe ducem referunt, ſeriéque ſuprema fatentur,
Non negat hoc Chriſtus, non vllus Apoſtolus, vllus
Chriſtiados ſcriptor, minima vel voce propheta,
Cres Titus eſt primas, Paule, & Chryſoſtome preſſis
Vocibus vrgetis, nec ſenſa reſingere fas eſt:
Anticeras nanto, caput expurgentve viretro
Milleuiri, prius acta diu nec rurſus agunto.
Interea tanto nos te ductore fruemur,
Et tua ſi veteri virtus imbuta virore
Floreat, & ſolita iam cum probitate ſeneſcat:

* Rationes pro Archiepiſcopo.

* Milleuiros dico, quoniam infinitos rabbi miſtagogos & magiſtros affectãt: vt vnaquæq; villa alat ſuos ſynedros, & ſe oniores, ſuum etiã Epiſcopũ, corepiſcopum, aut Papam.

Ibis in extremas pia per præconia gentes,
Et tua per longas ſurgent ſuffragia laudes.
Si tibi tam pulchrum pectus, ſi curſus & idem,
Ingenij, rectique tenax, bonitatis abundans,
Et ſtudium prodeſſe pijs, doctiſque procellas
Pellere liuoris, pronuſque, & nobilis ardor
Attenuare malos, hac tempeſtate camænas
Reſpexiſſe nimis triſtes, ſique vtile fiat
Verſandis pallere libris, & mole laborum:
Te ſchola, te cum plebe patres in nomina mittent.
Tunc tu magnus eris, tunc te facundia, tunc te
Attollent numeri, viuúſque, vidénſque ſupremam
Laudibus addideris palmam, fatiſque decorem
Egregium tantis, tua nos mirabimur acta.
Vocibus, & noſtro ſublimior ore fereris,
Te ſupera, vel te ſatis eſt, virtutibus æqua.
*Sis * pius ergo, pater, vitæ ſuccede priori,*
Viuat amor cæli, ſenio & iuueneſcat inerti,
Scintilliſq́ nouis ruituro in corpore flammet.
Dextera non læuis ſeponit, recta recuruis,
Vilia non lautis, mala iuſtis, ſacra prophanis,
Sordida ſynceris, proba prauis, fanda nefandis,
Commoda non mundo cudit, qui pectore cælos
Profligat, ſua ſola fouet qui numina calcat.
Principium à Ioua, ſunt illius omnia pulcra,
Deferat Antiſtes noſter, cæleſtibus inſtet
Arduus, haud vnquam Chriſti de calle retortus.
Plebs, pecus infælix, præſul cui præſidet intus
** Atheus, & ſurdo non vnquam calcare mentis*
Sanior, eduro ductus per reproba ſenſu,
Qui raro, aut fruſtra cæleſtia verbera ſentit.
Grex miſer, o, nunquam, ſed terq́ quaterq́ beatus,
Quem premit Antiſtes leni ditione probandus,
Cui deus eſt curæ, cæli cultura ſupremi

* Pietas in Deum res ſumma in Archipręſule.

* Præſul Atheus peſſumdat gregem.

Pecto-

Pectore cui corde est, qui non formidine turpi, »
Non precio, aut pœna iustum molitur, & æquum. »
Quem spes alma poli, dulcis quem Christus inescat, »
Carpitur & pulchri fructu protractus honesti. »
O quantum est seruire Deo, numénque tremendum
Præportare oculis, gratíque ante omnia cæli
Ignibus accendi, famulósque, atque omnia circum
Ore sonare Deum, grandes intérque Penates
Fundere concordi solennia vota precatu?
Cura gregis decorat melius, quàm summa potestas. »
Magnum operæpretium primatu viuere dignum »
Est hominem, sanctúmque caput, gnauúmque requirit. »
Omnem animum, pectus totum, plenósque labores »
Haurit, & est paucis vix raro ritè peractum. »
Fœlix ille animi, cælóque atque vtilis orbi »
Qui sibi non cathedram scandit, sed pluribus author »
Communis petit esse boni, qui carpitur omnes, »
In causas hominum, multis fierique parentem »
Emeruit, sensúsque omnes in publica tradit. »
Inque alios sese prorsus dispertit, & acri »
Corde capax onerum fumos, fastidit honoris. »
Quique agit impuros tectis, famulatibus vnos
Infert, admittitque probos, consulta capescit
Non nisi cum sanctis, & rerum laude decoris.
*Vtilis est * pietas, omnésque exundat in vsus,* » * Pietas
Omnia sortitur, nec quicquam anquirit ineptè » res fru-
Propitium qui numen habet, superósque benignos. » ctuosis-
Fluctuat interdum pietas, non mergitur vnquam, » sima,
Spreta magis, fit viua magis, damnisque beata, »
Feruida fitque fretis, dubijsque assultibus aucta »
Pullulat, & fatis mirè pulchrescit iniquis. »
*Nec Deus est * soli puro tibi corde colendus:* — * Pietas
Lustra sæpe lares, & sæpe magalia vise, est bonum
Sintque piæ pecudes, Christi quas fata piarunt, etiam alie-
num.

Et comites, consanguinei, famulúmq; phalanges.
Omne tuum, pater, esto pium, stata tempora sacris
Vsurpent, & sancta Dei mysteria discant
Sæpiùs à sanctis, præconis dicta periti
Aduolitent, fas grande putent non temnere sancta.

* Nihil dexterè faciunt artificio simulationis eruditi.

» *Vix habet egregium quicquam quod fronte * polita*
» *Nascitur, & tantum forma tenus inuenit ortum.*
» *Inculpandus honos, synceraq; gratia semper*
» *Aufugit officium sonti quod pectore manat.*
» *Sedibus in summis tantilla piacula sæuis*
» *Stringuntur linguis, magnæ maiora cathedræ*
» *Crimina dant mundo, recti si cardine nutent.*
Este pij, queis cura gregum, mundumq; sequentem
Ducite in exemplar, solijs non gemma stupendis,
Purpura sit ve decus, pietas sed clara per æuum
Præsulis omne micet, procul, ô procul este prophani
Præsulis officio, procul, ô procul este prophani
Præsulis à tectis, & cætibus: omnis in illo
Laus comites adcire bonos, & pellere prauos.

* Pietas quãplurima habet munera & vtilitates

» **Quæ non designat pietas, queis illa bonorum*
» *Luxuriat scatebris, & faustis fontibus vndat?*
» *Dotibus exuberat, bullantia commoda gignit,*
» *Soluit & hæc lites, inimicaq; iurgia pacat,*
» *Cuiq; suum ponit, creat aurea tempora paci,*
» *Vim minuit, laudata homines in prælia trudit,*
» *Hæc miseras lugubrè dolens miseratur, & alto*
» *Corde premit gemitus, sorteq; indigna ferentum.*
» *Tempora, personas, dotes, atque omnia lance*
» *AEqua hominum librat, stant maxima præmia magnis.*
» *Fæta parens recti, casu indimulsa dolendo*
» *Sistit, & aduersis non vnquam fida fugatur.*

* Impietas præposteraest, & perodiosa.

» *Degener * impietas cæli, sensuq; repultrix*
» *Sydery, dios sordescit inanis in vsus.*
» *Qui sacra non celebrat, ritus subsannat honores,*

Sus,

Sus de fert que Deum, nec cælite ſacra frequentat »
Mente dies, faſtos pariter qui, quíque nefaſtos »
AEſtimat, & doctos petulanti ſplene cachinno »
Roſerit irridens: hunc tu, pater alme, caueto, »
E laribúſque fuga, niger, ô, niger ille notetur. »
Perfidus ille polo, cultu qui numina fraudat, »
Obſequium dominis præſtabit quale caducis? »
**Lex erat, & longos eſt emanſura per annos,* * In more & conſuetudine apud omnes fere mortales ſemper poſitum fuit, vt magnis ingenijs magnus honos eſſet propoſitus.
Regna per, & gentes: fulgentia præmia doctis,
Et ſanctis, ſummóſque gradus, & culmina poni.
Nam ſocium Pharij tractabant ſæpe tribunal
Cum Satrapis miſtæ, dominos rerúmque creabant
AEthiopes miſtas, Druidas & Gallia fouit,
Græci Amphictionas ſtudijs coluere verendis,
Chaldæáſque artes Babylon ſuſpexit, & auxit
Magnifico doctos cultu, ſolijſque beabat
Rabbinos ſacra terra ſuos, altéque leuauit,
Perſia lauta Magos · gens illa eſt ruſtica rerum, * Prudentia etiam in Epiſcopo requiritur, ita vt pios, & ingenuos ab ijs qui virtutũ venditatione, & oſtẽtatione vtuntur, hominesque vere doctos, à Sophiſtis, & Rhetorculis poſſit ſecernere.
Barbarior rudibúſque Getis, qui corpora, vultus
AEſve hominũ ſpectat, mentis nil dotibus addit:
Et ſæclum inſipidum, cenſus nonſenſa rependens.
*Sitq́ *ſagax præſul, poſſit diſtinguere ſontes,*
Inſontéſque inter, pectúſque à fronte doloſa
Calleat ingenuum, ſempérque ingentia dona
Donis à magnis, magna à mediocribus, ipſa
A minimis, minima à nullis diſcriminet, omnis
Neglectrix graduum reſpublica ſtirpe lababit,
Hic iterúmque iterumq́, vide, ne ſemina ſurgant
Noxia diſſidij, ne fiant mille furores,
AEmula diſcordi gliſcántque incendia bile,
Inſanúſque Helicon, furiatáque pectora Muſæ
Lineſcant, totúſque ruat de nomine Præſul.
*Arque proinde *annos, vacuas lanugine malas* * Adoleſcẽtuli cautius & rarius in miniſterium cooptandi.
Maturas vix eſſe puta, populóque regendo

» *Impariles, rapitur rerum prurigine demens,*
» *Deuia consilij, rationis cæca iuuentus.*
» *Iam Veneri, vinoq; litat, iam mente tumores*
» *Immanes agitat, tortusq; cupidine laudis*
» *Incalet immodicæ, citò perq; abrupta viarum*
» *Præcipitat cursus, fatis effræna terendis.*
» *Non patiens tolerare malos, non vsibus æui*
» *Cauta satis, blandis nimis irretita catenis,*
» *Bis iuuenis denas nuper nam mensus aristas,*
» *Dux gregibus, populo pastor, mundoq; magister*
» *Vt fiat, verbisq; fidem, factisq; decorem*
» *Assuat, & laruam nunquam dimittat honesti,*
» *Futilitate vacet, sollersq; per omnia viuat:*
» *Rarum habet exemplar, & vix vulgatur in orbem.*
Timothei periere pij, periere modesti
Mentibus & sensis Epaphræ, pauidusq; profari
Nuncia Iermias Iouæ, nunc vna iuuentus
Effluit in linguas, & mutandi concalet ausis.
Inuisi repuntq; patres, doctiq; magistro
Vilescunt populo, si quid quis despit audax,
Hic sapit, & summus vulgo fit iudice doctor.
Pulpita ter nactus magno stat præsule maior.

* Fæces & colluuies hominum à ministerio obnixius & impensius abigendę.

*AEtas non omnis, non omnis conuenit * ordo*
» *Vsibus arcanis, deturpant optima quæque*
» *Absurdi famuli: series lectissima Christo*
» *Esto ministrorum, ô adytis plebs ima verendis*
» *Absit, & ô nunquam Christi sacraria tractet.*
» *Grex absiste, precor, Christi neu diuide manna:*
Sarctor, vel, fartor, pollinctor, tressis alipta,
Lixa, lanista, faber, curui sectator aratri,
Mango, coquus, cerdo, lanius, cetarius, Auceps,
Rabula, fiscalis, lictor, delator, agaso,
Baiulus, ælotæ, naupegus, telo, choraules,
Pistor, vel pictor, dicensve enormè tragœdus,

Institor

Institor, aurigæ, minimi muríque necator,
Rutibrati, nomenclator, mirmillo, sebator
Pollintor, propola, salarius, id genus imi,
Ignaui, ignari, specie absurdáque nocentes.
Quid sancta facient scena? quid sedibus illi
Impuri puris? socio quis pectore fæces
Nuncupat has fratres? collegia talia gratis
Doctorum doctus quisnam spectabit ocellis?
Non sacer hos Helicon, Pernassúsve inclytus edit:
Sed Phlegiton, sed styx tam monstra absurda refundit.
* *Plurima virtutem frangunt, rectique vigorem*
Depopulant, sanguis, nummíque, & lauta potestas,
Liuor, contemtus, dominatus, & æmula virtus.
His occurre malis, & iniquos excute mores
Assertor patriæ: musis & sydus amicum,
Et Grindallus erit mundo ter amabile nomen.
Scande super titulos, fulgentibus vtere fatis,
Bombyce resplende, mensis incumbe beatis:
Gratus eris viuens, noménque in secula mittes,
Si modo tantorum non argumenta malorum
Esse sinas, si aut arte leues, aut numine tollas.
Ingens semper habet propriæ cognatio stirpis
Pondus, inocciduos sanguis succendit amores.
Multa sinistrorsum donat, pietatis imago
Obnubitque nefas, frater, gener, atque nepotes
Pallia dant vitijs, & quæ mens praua patrauit
Naturæ ius esse aiunt, & plurima peccant.
Sic Annas Caipham, locat Annas sede Iohannem
Cognatos supera, sanguis sic sanguine surgit.
Fælix ille opibus, satis, ô, nimiúmque beate,
Cui bona prælautos dant incunabula casus,
Cui pater est præsul, patruus, vel auunculus, vllo
Sanguinis, aut generis minimo vel fune iugatus,
In dites, ô, crete dies, opulentáque fata

* Consanguinitas, nũm⁹, res lautiores liuor, contẽtus, patrocinia, & emulatio euangelij dissemināndi, & doctorum hominũ sunt expugnatores maximi.

„ *Fælix ille etiam tanto non editus ortu,*
„ *Si modo vel gnatam, neptem, gratámve ſororem*
„ * *Præſulis adſciſcat ſociam, jungatq́ maritam.*
„ *Sic ſacer eſſe poteſt, ſic dis, ſic itur ad aras,*
„ *Rem faciet locuples, hæc ſoſpitat alea multos.*
„ *Multa haud ille feret multum qui ſudat, & alget.*
„ *Eſte inopes docti, ſterilésque carete camænæ,*
„ *Pulpita non cultum, ſed pacta iugalia præſtant,*
„ *Non ſchola, ſed thalami, lectus, non lectio ditat.*
„ *Illicitum lucrum licitus thorus ipſe miniſtrat.*
„ *Fit Venus hac omni potiórque, priorq́ Minerua,*
„ *Qui duxit, non qui docuit nunc maior habetur.*
„ *Non animi dotes, ſed dos vxoria cultum,*
„ *Culminaq́, & cathedras, & plurima pinguia confert.*
Quid vigiles noctes, deſudataq́ lucernæ,
Artibus ornatum pectus, ſermonibus ora,
Dis, pius, & doctus ſi ſic potes eſſe procando,
Si tot fulcra ferant genialis commoda ſpondæ,
Salmacidis ſpolijs ſi ſic licet eſſe beatum?
Eſtq́ aliud porrò quo non damnoſius vllum
Monſtrum, horrendum, enorme, album, flauumq́ rotundumq́
Eq́ cauis cretum, flagrantibus ignibus auctum,
Et pedibus pernix nullis, gratumq́ videndo
Tractando gratúmque magis, tinnitibus ipſis
Auribus acceptum, conſculptum nomina prælo,
Induperatorúmque habitus, atque ora regentûm.
Summa lues doctis nummus, *baratrúmque camænis,*
Ingenijs fatale malum, fætúmque nefandi,
*Nequiter omnipotens, ſcelere & * genitore creatum,*
Millia progenerat ſcelerum, genitrixque cupido,
Sónſque animus pater eſt: ſcelus eſt ab vtróque parente.
Iliadas creat hæc vitiorum, & pignora fundit
Quot pelagus piſces, viridantia gramina campi,
Germina ver, Titan radios, aut litora arenas.

* Id eſt, epiſcoporũ, comitum, regulorum, vel ditiorum hominũ qui ſacerdotia, & præbendas prauè & nequiter cõferũt, conſanguinitate, & affinitate viſcati, & deliniti.

* Nummus, eiuſque miſhpat, & ingenium.

* Quos habet parentes, & quos liberos nummus.

Hinc

Hinc luxus populator opum, reprobator honesti,
Vis immanè ruens, sociatáque iurgia liti,
Elatique oculi, fastosa superbia, torpor,
Atque vsura vorax, cordis periuria praui,
Insidiæ, fraudes, ferientia ferra, venenum,
Et quæ fando piget sordes, & sylua malorum.
Quis damna illius monstri, quis crimina fatu
Egeret, aut virus minuet, vireſve loquendo?
Dissipat in mundum sese, atque omnia complet, »
Inuolat inque manus hominum, colitúrque crumenis, »
Inuolat inque sinus, semper gratissimus hospes. »
Sæpius admotus cordis confinia tangit. »
Influit inque hominum sensus, atque omnia cæcis »
Plena cupidinibus torret, furiatáque flammat. »
Certe ego, cum mundi quæ sit mens stulta, reuoluo,
AEthereæ famulos aulæ, Iouæq́, ministros
In nummos ruere, & postponere cætera nummis,
Ore, oculis, sensis, nummo seruire deastro:
Plurima de nummo reputo, nummíque pererro
Ingenium, videor simulacrum cernere nummi
Splendidulum, rutilum, speciosum, dulcia nummi
Et verba, & voces, blandosque audire susurros.
Pectora queis patrum violat, cælestia fratrum
Sensáque subuertit, bardósque in templa retrudit,
Infandos homines audacique euocat ore,
Edocet & fraudes, & cauta piacula iactat.
* *Cum mea tam celsi sublimia iura monarchæ,*
Et reges, satrapæ, proceres, rerúmque dynastæ
Mortaléſque etiam sexúſque atque ordinis omnes
Detrepident humiles, & curui poplite prono
Deuenerabundíque colunt, & numina norunt:
Me propter rabidis credit se nauita ventis:
Impiger atratos rapitur mercator ad Indos:
Insilit horrores, audétque in vulnera miles:

* *Nummi* ad ecclesiasticos vt, siquidem fieri potest, eorum animos inquinet, moresque conspurcet, & violet *oratio.*

Noſtri ſacra fames mortalia pectora paſſim
Mancipat, & ſeruas protrudit in vltima mentes:
Eſtis pontifices, præcones, id genus omne
Paſtores, myſtæ, dulci iam dedita lucro
Turba ſatis, fidíque omnes, gnauíque clientes.
Nunc equidem regno, nunc vos in retia traxi,
Nunc domitor mundi Mammon, dominúſque triumpho.
Valde ego pertimui, trepida formidine valdè*
Quaſſus eram, cum vos Papam, tenebraſque fugare
Audiëram, pietate acres, paruóque potentes.
Altáque ſublatis incendere pulpita dictis,
Ardua ſacrorum decurrere cepta laborum,
Atque apices rerum virtute capeſcere dura
Ne ruerem nummus, ſuperis depulſus ab oris,
Aut tenuata nimis poſt hac mea regna creparem.
Indolui peiora pauens, atque horrida voluens.
Sed mea non ſanus percuſſit pectora terror,
Ipſi, námque etiam captatrix turba, miniſtri
In me denſa ruunt, nunc grandes pectore noſtri
Conuolitant curas, & de virtute loquuti
Me decorant factis, & multa mente peteſſunt.
Vos ſapitis certè: nam quid vos algor, & æſtus,
Eſuries atrox, vrgenſve per omnia egeſtas
Impetat, & duri terat inclementia fati?
Quod facitis, facitote ergo: conquirite quæſtum,
Inſudate æri, tantûm corradite nummos.
" *Cætera ſunt fraudes, dabit omnia proſpera Plutus.*
" *Nam licet effingant me vates luminis orbum,*
" *Sentio, quid poſſim, quanto longæuior ibit*
" *In ſenium mundus, tanto maioribus ardet*
" *Me flammis, ſerúſque dies in ſceptra reponit*
" *Me magis, atque mihi valor, & decor inditur annis.*
O noſtri non vnquam quæſo dediſcite dotes,
Quid valeam tentate actis, & credite vero.

* Expauescebat. *nummus* ſed valde fruſtra.

Inuo-

Inuolitate Aulam, regum penetrate Penates,*
Pars prius at nostri vestris sit clausa crumenis,
Aula iociſque, cibiſque vacat, cultuq́, ſuperbit,
Omnia laſciuit, ſolis ſe ſumptibus effert,
Ergo opus eſt nummis, eſt Aula capaxq́, rapáxque
Nummorum ſemper, ſi ſpes mala fulſerit auri,
Ipſe licet veniat muſis comitatus honoris,
Præco foris ſtabit, nummos qui detulit intrat.
Lectio quid pernox, vigiles quid tendere noctes*
In lucem, multa Hebræum quid pagina vatum
Culta oculis, latiúſve liber, codéxve Pelaſgus?
Sylua quid authorum? doctis quid vocibus ergo
Gymnaſijs toties iteratum? pulpita tritu
Lucida quid? lingua, calamo exhauſtiue labores?
Quis vacat his? nemo. pectus quis quæſo patronum
Porrigit abs nummo? niſi cum re vilior alga
Eſt virtus, nil Aula fouet, quod non creat aurum.
Aſſibus atque obulis cathedras mercabor, & aras.
Credite paſtores, ſemper, duce, & auſpice nummo
Proſpera per mundi, per rerum dulcia lauti
Ibitur, eſt nummi facere, & ſeruare beatos.
Abſque bonis bona nulla iuuant ſors, optima Mammon,
Re ſine res omnes nullæ, ſenſuſque cerebri
Eſt cenſu ſine vix aliquid, me ianitor offam
Arripit adiectam, teneri cuſtóſque cubilis
Emicat ad nutum quæcúnque in iuſſa miniſter,
Me domini, dominæque petunt, me quodlibet aulæ
Mancipium, & magnis rumpunt præconia votis.
Credite paſtores, ſuperantur vt omnia donis:
Sic omnes, genus omne homines data grandia prauant.*
Quod ſi quis procerum non omni mente lababit,
Aſt purus ſtat parte aliqua, quin, fidite, coniux
Nequior eſt illi, byſſus ſit prompta maritæ,
Vel ſonipes gnatæ, gnato vel torquis ematur.

* Quidnã aggrediendum vt diteſcãt eccleſiaſtici authore nummo.

* Doctorum lucubrationes, artes, & opera præ nummo ſordent, ia centq; & improbantur.

* Quibus dandum.

Aut famulus maior, domini qui æraria condit
Clam ferat, herois sic crimen obumbret auari.
*Omne feret punctum dando qui * plurima præstat,*
Plus vincit, minus at cunctis euoluitur aulis.
Plus fer, plusque refer: quantus tibi nummus in arca,
Tanta & in orbe fides, numerando vel optimus esto,
Aut satur haud fies donec ructaueris ohe.
Apta dari quondam iussit preceptor amorum,
Magna dari mores, & præsens flagitat æuum.
Vos sapite in mundum, calidis dabit omnia casus.
*Pollicitis * implete omnes, montésque coruscos*
Prospondete auri, vis hinc, fraus congerat illinc,
Fertè alicundè aliquid, lucrísque aptate parandis.
Quin agite, & docili mea dicta recondite corde:
Viuit inops æris quicunque, ita iudice fato,
Fœnora vel tentet, vel mutua multa precetur,
Aut aliquid saltem mittat de iure futuro.
Binos bis binos, tu commoda transfer ad annos
In satrapæ famulum, fias vt rector opimus.
De decimis pastor, da de mercede paroche,
Præsul habet fundos, villas, viuaria, syluas,
Prædia det præsul, minuat patrimonia longas
Aucta per ætates, autoramenta papyris
Det promptus, laturáque opes citò syngrapha fiat.
Neglige posticas voces, & posthuma famæ
Vilia dicta puta, rerúmque potire superstes.
Nacte aliquid deglube pecusq́, & vellera velle,
*Fac iterum nummos, & munera * mitte patrono,*
Qui solet ambitos de principe vendere honores.
Tu succum pecori subduc, fac omnia nequam,
AEs modo si facias: dabit hoc veniámque, patratis,
Et culpis laudes, hoc tutus cortice nabis.
AEre potes paruo conducere, quæ tibi forment
*Pulpita quæ referant, paruo potes * ære libellos*

* Qantũ dandum

* Vnde, & quomodo cõflandũ, &, corradẽdum quod detur, & quo pacto quid dandum.

* Quomodo male parta asseruabuntur integra, ne quãdo propter munus malè administratum de officio abdicare.

* Quidnã struendum in doctioribus, vt specie tenus docti videantur.

Pascere

Paſcere qui ſingant, mediocribus omnia nummis
Expedies, ſi diues eris, ſi latus in altum.
AEre merent paruo miſeri, ſic vile locando
In doctos lucrum mundo cenſebere doctus.
Si crepet ille operas, & quæ ſudauerit edat,
Erue tunc nummis, ſiet & delator, & angue
Deterior, magnoq; malus pellatur ab orbe.
Non mihi ſi centum voces, ſi numina fandi
Innumera, in centum reſolutaq; pectora linguas,
Eloquerer fructus, & grandia commoda noſtri,
Et lautas laudes, & ditia flumina rerum.
Certe ego ſum virtus, ego ſum pernaſſia laurus,
Sum Petrus, & Paulus, ſum magno maior Ieſu,
Dijs, cælis, tellure, freto, mundiq; monarchis.
Palladi patronus miſeræ, Phœboque magiſter.
Sum Deus, & ſum rex, mea ſunt immania regna,
Immanes dotes, mundoque immenſa poteſtas.
*O fratres, fratres querenda pecunia * primum.*
Dehinc dominus mercandus, erit, morumque patronus,
Vultus, & os audax valde, formandaque lingua
Blandula, fraudatrix, fictrix, oculique minaces
In plebes hominum, multa & verſutia vitæ,
Murex, & veſtes, famulorum pompta paranda,
Cornipedes, calices, polymita, toreuma, lacunar,
Multitium, pallæ, ſagulum, Xilina, chimaſtra,
Magmataq; & pampilla, noëgia, bulla, ſalilla,
Pergula, puluilli, chami, phalaraq; caballis.
Pegmata, ſcinpodia, orcæ, trullia, ſtroma, tricaptum,
Gauſape, malluuia, & gutturnia, ſyndo, ſceraphna,
Ordine quodcunque & poſcit prolixa ſupellex,
Dehinc animi dotes, veniat poſt vltima virtus.
Sic ait, & tandem confecta voce quieuit.
Prurit in hæc numerus, vix & iam ſumma moratus
AEſtuat in dulces caſus, locupletia fata

* Hæc Diaboli germana & genuina vox eſt, vbiquetamē plus ſatis præſtita, & confecta.

Artibus inuadit doctis, plauditque magistro
Præplacido, vitæque inopis iam dispudet actæ.
* Tribus similitudinibus ostẽdit, quanta cum lætitia, suasus istos impuros ecclesiasticorum multi arripuerunt, & executi sunt.
*Scilicet vt cum * plebs grauiorem passa senatum,*
Et legum gemuit stimulis, & frena momordit
Soluere iura ardet scapulis, & ponere pondus,
Inuento gestítque viro, qui stantia vellat:
Ceu ve ærumnosus miles qui milite denso
Cingitur, esurie, suallore, & frigore læsus,
Moxque mori metuens, pendentia fata perosus
Flagrat abire fuga, sortésque relinquere diras,
Edoctus monitore viam cit corde triumphos:
Aut vt gymnasijs recolenda exercita pubes,
Voluendi deffessa modos, & tædia plangens
Nunc ferulis inflicta manus, nunc verbere clunes,
Brachia nunc virgis, atque in decus acta flagellis,
At simul, vt veniet, veniam qui voce peroret.
Discendi quæsatque moras, & tempora lætis:
Funditur in campos tyro, ludíque dicatur,
Fert animo nescire libros, musæque labores
Horret inexhaustos, nec si non doctor adurget,
Sponte retexit iter, sed abit per aprica locorum
Auius, effrænis rerumque, placentia captat,
Haud aliter mystæque tuæ, numerúsque tuorum
Fertur in æra, pater, mala mens, & turpis egestas,
Et numini suadela potens, nec prouida patrum
Mens mystis parit has sordes, atque omnia perdet.
* Implorat boni Archipræsulis præsidiũ, vt largitiones, & corruptelas de dignitate sua præcipitet.
*Arripe iam * clauam, feralèque comprime monstrum,*
Comprime trux hydram, lernæaque colla retunde,
Hirculeos da, magne, ictus, deuince tropæa.
Marte tuo melius consultum fratribus esto
Consulite, ò, patres doctis viuantque pudici.
» *Disperiat qui lustrat opes, qui prensat aceruos,*
» *Qui famulum fulgore ambit, vultuve dolisve,*
» *Pactis, aut pretijs, aut assentando cathedras,*

Qui

Qui, peda conquirit loculis, claueſque crumenis.
Quem bona non virtus, belleque antea omnia muſæ
Oblectant, lucróque pius poſtponit honores.
Qui volat in mundi vultus, pulſoque decoro
Cum ſatrapum ſeruis, & cum ciniflone ſuſurrat,
Splendidus ardelio plantis qui circinat aulam,
Prægrauat atque artes, & fultus Mammone ſidit.
** Eneruat muſáſque etiam prælauta poteſtas,*
Mens hominum rebus marceſcit ſæpe ſecundis,
Parturit immenſos faſtus, grandéſque tumores,
Vix tenuere modum faſtigia maxima nacti.
Quos nimium ſors bella beat, nimiúmque ſupinos
Alternat, vas ſyncerúmque incruſtat honeſti.
Crimina culmen habet ſemper, ſoliúmque tepenti
Luxuria emollit, quantúmque aſcendis in arcem
Altius, euincíſque alios, fatíſque refulges:
Tanto tu reprobis ſuccendis pabula noxis,
Et fomenta magis, virtus, & ſumma poteſtas
Diſcordant, ægréque pares in ſede reſidunt.
*Officiunt pariter virtutibus * imáque & alta.*
Viuit opus nullum quod ſit potoribus vndæ,
Pultiphagíſque viris, haud vnquam ſtabit in æuum,
Quod canitur, ſapidi ſi nil ampulla refundat,
Amphora dat genium, ſiccis ſunt omnia dura.
Alma ceres, Bacchúſque bonus cum deficit, ipſe
Deficit atque animus rebus, nec Apolline dignum
Quid patrant, queis venter inops, & parca paropſis
Concha, fabæ, ſiliquæ, puls, coclea, conchis, omaſum,
Muſculus, & napus, ſorbillum, iura recocta,
Rapula, ſpinioli, bulbi, lac acre, & ſorba, ſegale,
Caſeus improbulus, panis tria muſida fruſta:
Quique bibunt latices, ſtaphilen, ſerúmque ſecundum
Eſt aliquid Cereris ſuccos, & dona lyæi,
Atque, aliquas habuiſſe dapes, proprióſque Penates,

* Boni etiam, & ſyncери homines in affluẽtia, & abundantia rerũ cõſtituti à ſeipſis ſepiuſcule degenerant.

* Officiunt è cõtrario præclaris & egregijs actis nimis exiles & ieiunæ vitæ alendæ rationes.

» *Lucentémque focum, ſtabilitaque commoda vitæ.*
Hei mihi quam multos rauceſcere fecit egeſtas,
Et vocum concluſit iter, texitque tenebris
Egregias animas, auguſtáque cernere fata
Abnuit, obuoluítque vmbris, iußitque ſilere.
Hei mihi quod lenti ſurdent ad vota patroni,
Sæpius ingenijs ſummis quod plurima deſint,
Quod mundo, & Muſis cuiquam vix inditur vti,
Quod queruli ſemper deflent ſua tempora docti,
Quod laudes tantum, loculos tam rarò merentur.
Vilibus & lucris proceres, & rebus inhærent,
Dulce decus nihil aut curant, aut nomina famæ.
» *Ingens, crede, malum eſt paupertas, neſcius vti*
» *Si quis erit, vocéſque malas, atróſque ſuſurros*
» *Aduehit, & pauper vix, vix cenſetur honeſtus.*
Non, ô, non egeant docti, qui dant ſua prælo,
Pulpita quiue terunt, victura volumina promunt,
Diui hominum, ſummique homines, orbiſque magiſtri.
* Mira, & ſtupẽda indignitas. » *Eheu quam * læuum eſt paranimphos, & ſycophantas,*
» *Omne genus vappas rebus fluitare ſecundis:*
» *Per mala ſed ſolos decurrere tempora doctos,*
» *Et muſas ſine Mercurio nihil æris habere.*
» *Semper eget virtus, nec quid ſine compare iuuit,*
» *Nec tulit egregium ſine fraude Minerua minerual.*
» *Quin etiam multis præditia viuere fata*
* Temperantes & minꝰ guloſos eos eſſe oportet qui lauti-oribus & opiperis menſis vtuntur. » *Ingenijs * nocumenta tulit, circumflua lætis*
» *Copia temporibus fibras elidit honeſti,*
» *Et pulcri, ſegnique dedit langueſcere luxu.*
» *Mentis honore cadit, ſolitóque vigore labaſcit*
» *Cui ſemper calidæ ſtant pinguia fercula menſæ*
» *Perna, Cupes, Rombus, Capito, Lupus, Anſer, Aprugnum*
» *Hinulus, & Perdix, Phaſinanus, Pauo, Cothurnix*
» *Tinca, Capus, Bellaria, Turſio, Gobio, Squillæ*
» *Muccaco, Laganum, Scriblita, Tomacla, Scrutellus*

Euchilata-

Euchiláque, atque Embámata, Nux, Mollusca, volema, »
Mustáque qui potant, qui Mulsa, Meraca resorbent, »
Fortia zitha bibunt, & trimmita grata pitissant, »
Et fatui quæcunque flagrant deliria ventris. »
Soluitur in multas labes, & corde recedit,* » *Heluonũ mos
Fit socors, vecors, discors, & funditus excors. » & ingenium.
Rancidus est olli flatus, peramaraq́; ructans
Ventriculus, cruduq́; cibo, resluensque Lyeo,
Distertens abrupta caput, præpingue cerebrum,
Pes titubans, oculus nictans, vortexq́; soporus,
Turgida mens, cæcique putri fuligine sensus,
Mollibus effætum corpus, placidisque solutum.
Et depressa nimis diuinæ particula auræ,* * Anima.
Segnis, hebes, & vix tandem vulgaria cernens.
Nec fas, est nec posse reor, memorabile quicquam
Inter tot pateras, fumos, & fercula gigni:
Ni Deus omnipotens ventris miseratus auari
Leniat ingluuiem, malesuadáque guttura paruo
Oppleat, & modica stomachum placauerit esca.
Rara auis in terris satura qui viuere mensa »
Sueuit, & illæsos menti seuauit honores. »
Ac nummis sanctum scandunt quicunque cacumen,* * Homines improbi, & nummularij si ad dignitates, & honores irrepserint: doctos quosque ex professo persequuntur, & deculcant, eisque mille artibus obloquũtur.
Artibus absurdis reditus tenuando vetustos
Quos priscæ posuere atauæ, tritauiue benigni,
Qui dominum duris precibus, magnæve magistræ
Emergunt, templis claris, rebúsque potiti:
Hy nimis obnixè doctos pessundare anhelant,
Illius heu satagunt, ingens ea cura repleta
Sumina sollicitat, ieiunas reddere musas,
Strigosas, laceras, inuestes, sedibus orbas,
Iactatas, querulas, læti & ludibria mundi:
Has rident, sannántque etiam, tacitéque triumphant.
Milleuirum nunc doctum aiunt, nunc esse papistam
Rixosúmque, horum si quis mala crimina culpet:

Mendicum, ſiquis rutilo non fulgeat oſtro:
Barbaricum, ſiquis non palpet rectius Aulam:
Sordidulum, ſi quis calamiſtri temſerit vſum:
Non frugi, niſi quis multum collegerit æris:
Non ſocium bellum, niſi plura obſonia mandat:
Non cautum, niſi quit nocuus diteſcere damnis:
Non hominem, niſi corraſos det tempore nummos:
Non animal, niſi ſcit caulas mercaier ὀρθῶς
Fungum, virtuti niſi longè præferat aurum:
Et lapidem, niſi rite foro per cuncta fruatur.
* *Plurima de fundis, de chartis, déque ſigillis*
Déque redempturis verſant, quondámque locatis
Prædiolis, nunc tollendis, rurſúmque locandis
In fructus proprios, atque emolumenta nepotum.
Et charis multum de conductoribus addunt
Colloquij, cupidíque vehant qui plura colonis.
Multa ſuper mundo rogitant, procerúmque fauore,
Multa ſuper ſagulis, cultúque, & veſte polita,
Et famulis comptis, & quod diuinxerit Aulam.
Quid quibus eſt gratum, quo poſſunt ducere viſco
In votum ſatrapas, quo poſſunt annua pulchrè
Suggeſto dare verba ſemel, doctique videri.
Hic labor, hoc opus eſt ſemel annua fundere verba,
Et lauto memorare ſono meditata per vngues:
Sicque Sophi fient ſatius, magis aurea fata
Adſciſcent, vicibus quam ſi bona biblia denis
Mente pererraſſent patréſque, & tempora rerum.
Sæpe caballinis, peragunt ſua tempora tergis.
Nunc equitant caulas circumque, & vellera tollunt,
Nunc alias prenſant pecudes, queis vbera preſſent.
Sæpius artifici fabricantur pectore fraudes,
Emungunt Muſáſque bolis, ſic concipit arca,
Sic ciſti turgent grauidi, ſic naſcitur aurum.
Hinc ſpretæ oblachrymant Charites, frendéntque camænæ,

* Studia, cogitationes, & mores malorum mortalium poſtquam eccleſiaſticarum dignitatum ſunt potiti.

Doctorum

Doctorum genus omne gemit, sit dedecus ingens
Et patriæ, & pietati omni, Christóque Polóque,
Pædonomis, scitísque scholis, cultísque Lyceis.
* Temnimur innumeris de causis sæpe ministri,
Agamus hic viuit, credit se cælibe sorte
Cursurum melius, semper per prospera rerum
Victurum, fausttúmque sibi, famulûmque Phalangi,
Et spolia, & laudes laturum sæpius amplas.
Hic pede cuiusquam forsan si limen oberret,
Si cum fœmineis fundat nisi paucula turmis,
Fœmineos cernat vultus duntaxat, & ora,
Bacchatur linguis mundus, latrántque popelli.
Ille niger iudex populus, morúmque magister
Acephalus, peiora volens, melioráque prauans.
Est alius, sociæ quem nectit copula tedæ,
Alligat atque tori rectè concordia misti.
Hic vel auarus opes, dotem captátque peramplam,
Exanguémque ambit vetulam, sordéque procatur,
Aut præmaturæ iuuenile cubile puellæ
Sollicitat, famáque perit Censore popello.
Patribus hic genitus dubÿs, hic it pede claudo,
Nanus & hic, & hic humeris gibbosus iniquis,
Hic oculis captus, limos hic vibrat ocellos,
Iunior hic auri multum consumsit, & æris:
Hinc rerum nunc languet inops sub deside fato.
Hic nimium charè mercatus singula torpet,
Hic rapit hinc illinc, & raptos condit aceruos.
Ille satur rerum priscos deculcat amicos.
Hic potator erat quondam, cuique amphora curæ.
Illecebris hic mollis erat, cuique alea cordi.
Artificem sapit ille magis, nec commodus aris.
Hic cubis vacat, & chartis, quatit ille fritellum.
Pone libros linquit, venatur & arte libellas.
Hic nimis increscit cultúque, & fulget amictu.

* Ministrorum contemtus multiplex, & vnde.

Ambulat hic tritis togulis,& paupere palla.
Squallent pauperie innumeri,mundúſque ſiniſter
Hos nimium calcat,quos non ſors lauta beauit.
Certe opus eſt cenſu,nec egeno viuere caſu,
Si male ſpernentem quis non neglexerit orbem.
Crede miniſterio nihil eſt diſpectius ipſo,
Sic ſcelera emeruere hominum,vitæque theatrum
* Ex abitione Archi præſulis Grindalli miniſterij auctoritatẽ imminutã, & obtritã eſſe,miniſtros ipſos in neglectũ & opprobrium deueniſſe.
Nequiter emenſum,te,te, Grindalle,remoto*
Excidimus pretio priſco,veteríque valore.
Pupillo vix hæc ſtruerent,viduæve miſellæ
Quæ facere illuſtri præconi turpiter auſint.
Omnia ius mundo,linguis ſtrinxiſſe miniſtros,
Ius opibus nudare pios,& perdere doctos,
Mentiri ſcelus admiſſum,viuóſque vorare
Morſibus,inſidijs,latratu,crimine ficto.
Viuimus,ah,humilis numerus,terræque repreſſus.
Non color eſt vitæ comptus,non gratia factis,
Non fauor officijs,nobis prælucit honore
Publica colluuies hominum,potiórque cathedris,
Celſior & menſis,Puteal plus ſentit amicum,
Plus aulam,plus pontifices,Chriſtíque miniſtris
Omnia præcellunt,niſi quis ſit mactus in arca.
Liuor edax rerum,doctos exéſtque miniſtros,
Rodit ſæpe bonos,& crimina tendit amara.
Quippe malum vulgus,puræ rationis egenum,
* Liuor & odium populi in miniſtros Quare.
*Nos quia non horum * pacto traducimus æuum,*
Veſtibus abſimiles diuerſis,diſpare cultu,
Pulpita ſcandamus vitæ taxantia ſordes,
Plus animis ſapimus,dicamur ſæpe magiſtri,
Nec tantum iactamus opes,quod friuola fando
Non loquimur,primus quod protenus omnia labris
Quæ veniunt gratis non circumplectimur vlnis,
Nec ſecum ſentimus idem, ſit feruidus hoſtis
Virtuti,Muſiſque bonis ingratus,& aſper,

Arce,

Acer, atrox, audax, adq; omnia nostra cauillans,
Libertate notans multa quæcunque ministri
Designant, facilisq; suas non cernere labes,
Stercora, cænosas veneres, atque vlcera vitæ.
Tantillum si præco labet, si forte vacillet
Aut voce, aut vita, quantum, Deus optimè, quantum
Blactrat iners numerus, simil culpabile patrat,
Fingit, & eiurat, nullo sub iudice texit
Quaslibet insidias, rumores spargit amaros,
Infandos, nigros, nimiumq; insanit inultus.
Nec melior mista ignarus, fur perq; fenestram*
Introiens dat damna bonis, liuoreq; latè
Grassabundus obit, quodq; est laudabile culpat.
Non aquilæ tantum lepores, non miluus alaudas,
Non lupus innocuas pecudes, vulpecula pullos,
Accipiter fulicas, niueos vel vultur olores,
Non catuli damas, tipulam aut tinnunculus æstrum
Leserunt, quantum bardi nocuêre peritis.
Hos linguis lacerant rabidis, latratibus horum
Dedecus accumulant, istis vindemia magna est
Esse malos doctos, hoc grandibus ergo lacertis
Adcertant, & sæpe, pater, mendacia pingunt.
Hij mage diteſcunt doctis, & suauius æuum
Euiuunt, plus sæpe placent magnatibus ipsis.
Teq; tuumq; caput sanctum testamur, ineptos*
Esse pios mundi rebus, non poplite tantum
Corpora motantes flexo, positoue galero
Incuruos, non tot technas callere, nec artes.
Syngrapha quo formanda modo, fundiue locandi,
Igniculi quanti thalamis, quæue æra culinæ
Annua non norunt, sed nec didicere lubenter
Blandiri dominis, famulos orare benignis
Obsequijs Satrapum, vile, & miserabile censent
Artibus ingenuis, solida, & virtute relicta

* Vt Episcopi siqui mali sunt, & indocti-
„ ores deprimunt
„ & eleuãt
„ doctos, & synceros
„ pastores:
„ sic ignari etiam ministri literatioribus, & praui probis inimicantur & inuident.

* Non tam scænæ seruiunt, nec tam placẽt obsequijs, & secularibus officijs docti, quã indocti.

Aucupium tentare nouumq́, & deuia vitæ
Sic abſurda ſequi, pretium non eſſe merenti
Cuique ſuum, niſi tam vitam vernaliter edat.

* AEmulatio inter doctos ipſos non rarò gliſcit, & efferueſcit.

Quin docti, ſanctiq́, viri quos æmula virtus*
Accendit ſtimulis, nimium facit eſſe flagrantes
Non raro, facibusq́, malis per lata micare.
Alterius non alter opes, non alter honores
Fert animis, hic nunc locuples pede calcat iniquo
Hunc humilem, grauat atque inopem, terræq́, refigit.
Alter ad alterius laudes refugit, famæq́, ſequeſter
Alterius niger eſt, fœcundus & alter, & alter
Obloquijs, nec dat dextras, nec fœdere bello
Sancit amicitias, ſed ſe concreſcere geſtit
Caſibus alterius, non, illo ſtante, virere
Se putat, occiduum ſe illius luce futurum,
Non vno mundum laturum, tempore ſoles.
Ergo parant animis odiumq́, atque acribus iris
Exacuunt bilem, grandes quatit alter, & alter
Pulmones, raptíſque viis ad culmen anhelat.
» *Non ſigulus ſigulum maiori lite perurget,*
» *Quam doctus doctum, ſic dant riualia fata*

* Se cum Milleuiris inuitiſſime dimicaturũ aut velitaturum: multũq; oratos illos habere, vt ad frugem ſaniorem ſe recipiant, eccleſiarumque tranquillitatem optandam ne violẽt.

Sciſmatáque, & ſectas, & quæ retuliſſe pudicum
Suppudet ingenium, diſcordia ſemina rixæ.
Hanc fuge mens fandi partem, taciturnaq́, tranſi*
Caſtra, duces, fratrúmque iras, inflictáque crudis
Vulnera vulneribus, cauſas alimentáque flammæ
Ne profer, ne, quæſo, vnquam, me vate, canantur.
In pacem, ô, potius coeunto iurgia fratrum,
Nec ſinat Antiſtes diuinæ pabula litis.
Hic ſape, ſancte pater, maioribus vtere ſenſis,
Tempora, progreſſus, ſudores, ſcripta, peracta
» *Suggeſtíſque, ſcholíſque nota: non indole cruda*
» *Par iuuenis maribus, ſenibus non maſcula virtus*
» *AEquiparanda etiam, ſeriémque & tempora confer,*

Sudo-

Sudorúmque modos, monumentorúmque valores.
Qui magis emeruit, maiorem porrige palmam,
*Omnia ſtent * meritis, tantum, fratréſque videbis.*
Ad noſtros reduces ritus, paciſque ſequaces
Vnanimæ, Chriſtique gregi ſeruire volentes,
Intrepidos culpare malum, ius pandere mundo,
Et vitæ labes, ſenſiſq; eradere ſordes,
Et curas hominum putres, criménque malignum.
Aureolo viuent homines, te Præſule, ſeclo.
Vltima virtuti, Muſis, & flebilis hoſtis
*Sæpe * patrocinium Magnatum eſt, datq; repulſas*
Innumeras doctis, nec dignis culmina confert.
Claude libros doctor, Paulum nec diſcute ſollers.
Claude libros lector, nec Hebræos progere ſenſus,
Claude ſonos Præco, nec pulpita confice tritu.
Claudite paſtores voces, ſat ſurda biberunt
Sæcula nunc dudum, melior merx proſtat in Aula.
** Præco relinque libros, prolixa volumina mitte,*
Pluteus in cineres flagret, diffringe pugillar.
Et calami, & chartæ, & quicquid collinit illas
Eualeant longum, celſum tu quære Toparcum,
Vel ſatrapam, comitem, dominúmue procare patronum,
Præſidium dominam vitæ, aut heroida celſam.
Magnatum magnis preculas effare ſacellis,
Aude, vrge, inſta, potes intimus eſſe premendo,
Trudendo, dando, graſſando, rara crepando
Palpando, curuando, aſſentando, tacendo,
Omina pranſuris præfando, ſancta leuando
Lumina, teſtando cælos, commenta ſonando,
Fulgendo, prodendo, picta, & placitura loquendo,
Aut dominum, aut dominam, natos, natáſque rogando,
Laudando, ornando, præeundo, placendo, ſequendo.
*Non quis, ſed * cuius fueris, pro quóue petatur*
Sed quis nam petat, intererit, tu noſceris extra,

* Quomodo aliquatenus abolenda ſunt ſciſmata ab Archipræſule.

* Patroni auidi & illiberales euangelij curſum impediunt, & interturbant, doctos aſpernando, & extenuando, nummulariósq; ſuos ſacellanos euehendo, & promouẽdo.

* In malas malorum eccleſiaſticorum artes, ſarcaſmus.

* Quę ſunt hodie apud noſtrum ſæculum in pretio » propemodum.

Non intus,te vox domini dabit esse quod haud es,
Aut non esse quod es,nec es hoc quod es,atque Fuisti,
Omnia vel nihil es,solo referente Patrono.

* Prouehuntur interdum & docti, sed nõ eo semper quo par fuit respectu.

Ipsi etiam heroës multos ad summa peritos*
Attollunt,sed vix semper virtutis amore,
Multa prius pangent,& non facienda patrabunt.
Ipseque si satrapas nullo viscabitur auro,
Filius,aut coniunx,vllúsue,aut vlla nepotûm:
Expedient famuli saltem,flecténtque magistrum,
Aut facilem tandem Dominam,vel dulciter ore
Filia vincetur magno ter grata parenti,
Filius aut matri suauis,famulabus & ipsis,
Et famulis vrgebis opus,sit Condus amicus,
Stipator,Structor,Præsultor,Crustula blanda
Qui pinsit vel calo,Sclapusius,aut Paranymphus,
Promus,Subpromus,fucata Pedesequa,nullum
Seruitium non conficiet,quod poscis,eris dis.
Pingue sacerdotium veniet,Præbendaue fælix,
Aut templum prægrande,aut multa sacraria saltem.

* Præstat quodammodo ardelionem, quam doctum reapse esse.

** Officijs potes esse aliquid,versutia vitæ,*
Plus tulerit,si cognoris tria commata Tulli.
Virgilij versus totidem,duo dicta Pelasga,
Bethque Palestinum,rarúmque sonare Bereshchith
Quam si doctor eris doctus,solidusq́ magister
Artibus oppletus mentem,scriptorue politus,
Aut sophos,orator,logicus,Geometra,poeta
Et thargum noras,non cusáque sheuata Kimhi.
» *Si simplex virtus,& fraudis nescia tantûm*
» *Te amplificat,potes esse miser,potes vsque iacere.*
Hic,pater,hic hære,non protinus omnia magnis
Donabis satrapis,satrapis dabis omnia certè,
Sed non sancta dabis,dominus quæ nollet Iesus,
Quæ veterum consulta patrum posuere camenis,
Inque vsus sacros,Christo purèque sonando.

Anulus vt veniat, vel diues epistola blandis
Pollicitis, aut dira minis, responsa papiris
*Da bona, da * chartas chartis, da verbula verbis.*
Templorum ne da reditus, patrimonia vênum
Heu sacra ne dona, corruptis moribus æui
Syncerus perstа, genitum te credito mundo,
Inconcussa tene puro vestigia passu.
Hoc etiam, atque etiam moneo, valdeque monêtor,
*A * famulis videsis caueas, mendicaque pelle*
Vota horum, nec quæ sunt præmia sanctis
Obtineant illi precibus blandis, crebrisue petitis.
Itur in omne nefas famulis ducentibus, ima
Miscentur superis, verna moderante magistrum.
Seruiles semper versant seruilia sensus.
His Deus est venter, cultus, vilissima rerum
Pars, nummus, domus infelix, si verna gubernet,
Pontifici præsitque, & queis vult destinet aras.
** Sic ego pro doctis fatus, sic multa profusus*
Oraui restántque super quamplurima dictu.
Quæ Moses, Christusq; canunt, Paulusq; perite
Timotheumq;, Titúmque docet, quæ cætera vitæ
Munera constituunt, stadiumque Antistitis omne,
Suggestis referenda bonis, quæ lectio, flatus
AEthereusq; dabit, sit pars mihi summa precari,
Maximaque, (orando siquid tam iusta merebor)
Vt magni doctos facias, cælique ministros,
Affectus abs te veteres, studiumque rogamus.
Nos tibi Symistæ, certè nos pondera rerum,
*Non momenta sumus, semper tua * fouimus acta*
Mentibus, & votis, te iudice, viximus omnes
Laudibus illæsis, nec merces rapta laborum est.
Tum, tum floruimus, sed mox vertigine rerum
Attoniti, furua ceu tempestate columbæ,
Ingemuere pij, sortesque exuta priores

* Quidnã tribuat aulicis petitionibus Archipræsul.

* A famulorum suggestionibꝰ præstrenuè & gnauiter cauẽdum.

* Potuit, & plurima alia attulisse, sed laborẽ hunc pro doctis, & pijs subleuandis, & indignis coercendis duntaxat susceptit, & expediuit.

* Grindallũ ministris intimum esse, ægerrimè & dolentissimè eos absẽtiã eius tolerasse.

Degeneres latebras, fuſcataque nomina famæ
Paſſa diu pars ſæpe dolens ſpersêre libellos
Lacrymulis: pars nulla animis non ſenſit acerba.
Virtus, & pietas pleno planxere theatro.
Teque, tuamque fidem poſcunt, componere ſenſus
Ad priſcum virtutis opus, cunctíſque timere
Viuere ſecurumque tibi, ſerieque laborum
Erigi in vlterius, cauſaſque capeſſere cura
Inſomni, pro re totas effundere vires
Chriſtiados, refugam cauliſque arceſſere pacem.
*Rupta *quies, pater, eſt templiſq́, gregumque magiſtris,*
Syluaque ſectarum gliſcit, popularia vincunt
Nomina iam patres, odij, rixæque fragorem
Fas cunctis audire locis, gens ſtridula linguis,
Legibus immodica, ac audens ingentia latum
Spergitur in regnum, vocum pulſuque nocenti
Concutit, heu, fragiles animas, voluitq́, ruínis.
In ſubitum prurit dimittere ſingula, bardæ,
Nec ſatis admiſſæ concit ſuffragia plebis,
Ardor ineſt animis, placet illis alea fati
Muſarum merſura caput, pudet ire receptis
Tramitibus, grandíſque noui ſit copia cæli.
Accendit timor hos noſter, faculáſque furori
Dat patrum ipſa quies, vix vlla patrata coercens.
Graſſantur pietas præceps, temeraria virtus
Impune, vtendum eſt igitur mihi voce doloris:
Iam magis, atque magis feruens aget omnia fatum,
Semirutæ fient caulæ, pectudéſque magiſtris
Maiores ipſis, pax, & decus omne recedet.
Nec color imperij, nec frons erit ordinis vlla:
Ni pluſquam humanis ſapient ſua plurima ſenſis
Milleuiri, noſtróſque oculos nox occulit vmbris.
Naufragij timor omnis adeſt, iam dirige nauem,
Vndarum ſuperáque minas, pelagúſque futurum

* Miſcent, & perturbãt omnia Milleuirorum plebs, & vulgus effrænatius

Sciſma-

Sciſmatis,errorumq́,& queis rex teter Auerni
Sacrilegas ſonti defundit pectore pestes.
Vſus adeſt mentis magnæ,cordíſque perampli,
Pectoris immoti,ſempérque ad certa dicati.
Nam venis ad miſeras curas,fugiendáque fata:
Ni catus anticipes venientia poſtera damna,*
Quæque,ſemel ſancita velis,poſt fortiter auſis.
Egere qnod ſupereſt animæ robuſtus,& inſta,
Siſq́, volens:tam velle tibi,quam poſſe neceſſe eſt.
Ne pauida obſcurent antiquos acta triumphos,
Seráque fuſcetur poſtremi cardinis ætas.
Rectius hos torque,maioribus vſe lacertis,
Fac: & habes aditum manſuræ in ſecula laudis.
Nec dea bella tuis nos hæc pugnantia votis*
Diſſerimus,nec te nullo pro numine habemus.
Elſabetha meis ſemper celeberrima muſis,
Et ſortem,& ſexum ſuperans:tu ſumma fauoris,*
Tu momenta trahis: tua proſpera mundus adorat.
Et ſatrapæ,& pronus populus,cum ſupplice mundo
Te mirantur,ouant,populorum vita,ſalúſque
Pendet in hac anima,penitúſque in morte lababit.
Tu caput es noſtrum,tu gloria:tu decus orbis.
Tu ſacer,& magnus vatum labor,inclyta lima.
Tu,nomen,quod mundus amat,dulcedine tantæ
Iocundus rapitúrque animæ,viſáque triumphat.
O me infœlicem fatis,& rebus iniquis,
O me fœlicem tali ſub principe natum,
Elſabetha micans,pia,fulgida,celſa, decora,*
Euincénſque omnes,quantum querceta myricas.
Doctáque plus doctus,valde ſapientibus ipſis
Plus ſapiens,te,te,tollet famoſa vetuſtas.
Tu noua non toleras,nec quæ velit ille,vel ille
Actutum peragenda putas,non pectora vincit*
Infandum vulgus,propera pietate proteruum,

* Actũ eſt de eccleſia niſi eminent in omni Archiepiſcopo prudentia, firmum cõſilium,& fortitudo.

* Reginá affatur.

* Honos Reginæ.

* Laus Reginæ.

* Perſpicacitas,& perſeuerantia Reginæ.

Et decet,& par eſt,& vis frænare popellum.
*Non ego diuitias * auri,non fulua talenta*
Aucupor,exiguæ plus raptat gloria vitæ.
Omnia perpeſſo nec quit ſors curta nocere,
Nec locuples prodeſſe mihi iam pluribus vſo.
Fatum agit,& pœnas lauti fortuna fauoris.
Exigit à miſero,ſola iam mente valebo,
Ne vixiſſe diu laudes mihi deſtruat vllas.
*Te * precor,ô domina,& longè nitidiſſima rerum,*
Principibus maior priſcis,meliorq́; futuris,
Sic tua ſint longæ viuacia nomina famæ,
Delitiæ ſic ſis mundi,ſic numine honora,
Sic tua per multos currat pictura Penates:
Deprecor,imploro,validis te vocibus oro,
Voluor & ante pedes animis,& ſupplice voto,
Proſpera ſis muſis,præclara & magna foueto:
Grindallo famuloq́; tuo,ſacriſq́; magiſtro
Auſcultа,da fandi aditus,da tempora grata.
Tutela ſtet,diua,tua,redometq́; proteruos.
Tu ſacris tam crede ſacro,rerumque perito.
*Hoc * Dudleius agat,magnum & memorabile nomen,*
Fulgentem mihi quem Dominum virtute paraui
Duntaxat dura,noſtræ qui plura ſpopondit
Solator Muſæ,ſed me premit inuida turba,
Et pudor ingenuus qui vix velit,vlla precari.
Hoc etiam Patriæ pater,& plus patribus ipſis
Ipſe pater Burleius agat,ſapiendóque pergat.
Burlaius,cultа cuius ſub mente,togáque
Pacificas vrbs ſentit opes,plebecula victum,
Et multum pretij virtus,& patria nomen.
Vos,mea,vos etiam ſuprema oratio, myſtæ,*
Symniſtæque poli,cæleſtia caſtra regentes,
In licitum reuocate animos,ſanctiſque micate
Obſequijs,ſit,& omne nefas cum Præſule pugna.

* Se bono & ſyncero animo hęc prædicare, vtranque fortunam iam expertum eſſe,de neutra valde laborare

* Serio & ſolicitè Reginam deprecatur,vt multum tã bono Archipræſuli deferat,mil leuiris:& candidioribus ne credat.præſertim quod ad eorum ſenatus,& pręsbiteria attinet. Hoc enim ſuo iudicio magiſtratibus planè aduerſari.

* Alloquitur ſelectiſſimos illos duos proceres comitẽ Leiceſtren & D.Burlaium.

* Hortatur miniſtros vt Archipręſuli obediẽtiam,& reuerentiã exhibeant.

Sit

Sit præſul, præſéſque idem, dux vnicus eſto
Agminis aſſertor noſtri, morúmque magiſter.
*Artibus ornati * fratres, linguíſque potentes*
Mentibus agnoſcant regimen, norintque vereri.
AEquanimúmque patrem diſcant audire monentem,
Et repetant alacres deſuetæ exordia vitæ.
*Hanc ego, ſancte parens, vrbis * ſtudioſus, & orbis,*
Principis, & plebis, patriæ, fratrúmque proborum,
Troianouantæa carmen modulabar in vrbe.
*Elzabetha ſuos quo * nunc viſura Penates,*
Dudlæúſque nitens, & multus mente Cicillus,
Fulgida magnatum ſeries, denſique Dynaſtæ
Agglomerant, & ſerua micat cum Principe pompa
Præluſtri, rediénſque refert optata triumphos
Semidea, & laudum præiens monumenta priorum.
Carmine fulgidior noctro, ſi quando merebor
Securus fieri fati, lætùſque laborum.
*Hic, * vbi noſtra lares habitat nunc muſa caducos,*
AEgidij ad templum, reſonis ſuccuſſa procellis,
Orba ſodalitijs, gelidis eluſa patronis.
Mens populi fatuis interturbata loquelis,
Nunc rebus laſſata malis, ſternáxque decori
Difficilem recti vellet non carpere callem.
Mox iterum æthereo flammata nouatur ab æſtu.
Humanas renuitque vias, & viuere noſtrum.
Autorem meminitque Deum, patriæque ſupernæ:
Se reducem cupit, & mala pondera ponere carnis.
Tot mundi ſatiata vices, periuntia laudis
Tempora lamentans, ſtatu viduata placente
Alternat caput, & motus pro tempore format
Bellos, non bellos: fortes, peiora pauentes:
Plurima verſantes, verſatorúmque peroſos:
Tandem ſynceros, & nil niſi ſancta volentes.
Hic, vbi trans Tameſin, peramicum piſcibus æquor,

* Edicit præcocib⁹, & dicacib⁹ ingenijs ne aduerſus ſpectatum Archipræſulem, & bonos patres diutius inſoleſcãt, & occentét

* Quare Præſulem ſuum conſcripſit.

* Quando conſcripſit viz. anno Domini 1575. cum auguſtiſſima Regina ſub vere ad Parliamentum cum regni Dynaſtis confluxit.

* Vbi ſcripſit, & quo modo affectus.

Grindallus reſidet Lotheſi, venitque precatus
*Vrbibus, & pagis, fato * tranſuectus honoro.*
Troianouantæis hoc nullus notior oris,
Ille pecus rexit quondam, multas ḡ bidentes
Londini, fulſit ḡ boni tunc inſula patris.
Ille meam ſacro qui finxit pollice muſam,
Socratico mitis ḡ ſinu mea ſenſa refouit.
*Grindallus, tandem mundi * melioris origo,*
Peioris tandem ḡ modus, tuta anchora muſis,
Præſidium caulis, iuſti patronus, & aqui,
Anglorum in ſolidum ſolers cōuertere ſortem.

* Grindallus honorificētiſſimè à borealibus plagis deductus, & lætiſſimè ab omnibus doctis, probiſq; mortalibus exceptus.

* Faxit Deus vt omnia ad Chriſti gloriam, Eccleſiæ fructum, & vitæ emendationem componat, & ordinet.

FINIS.

Thomæ Drantæ
Angli Aduordingamii
Carminum Sylua.

AD SYLVAM SVAM CARMEN ELEGIACVM

Sylua vire, ſemperque nouo ſis verna colore,
Sylua meis nimium caſibus arcta vire.
Syluula nunc certè, quod ſi mea cuncta teneres
Quæ cecini varijs ſacra, prophana modis.
Næ tu ſylua fores, placidoque comata virore,
Turgidior fructu, dulcis odore magis.
Sunt oblita mihi tot carmina, totque camœnas
Prædata eſt animis ſors peracerba meis.
Sylua vire modico, quæſo, contenta decore,
Floridior forſan ſylua futura vire.

ELISABETHAE ANGLIAE FRAVNCIAE ET HIBERNIAE REGINÆ &c. PRINCIPIS PRÆcellentissimæ, & heroidis sui sæculi prægloriosissimæ Panegyris genuina.

GRATA oculis, celsa imperijs, consulta regẽdo,
Sara animis, Iamino mẽbris, virtutibus Hester,
Cantu Hero, calamo Sappho, Cassandra decore,
Paula pijs sensis, laudato corpore Polla,
Tulliola eloquijs, comptis Cornelia dictis,
Flauia tot linguis, veneranda Claudia passu,
Hilda actis, Tanaquil pensis, Hortensia gestu,
Dotibus Andromache, regali Liuia laude,
Vastia vestitis, Helene auro, Iulia gemmis,
Ore Venus, Iuno sceptris, & pectore Pallas,
Nata Polo, rerumque iubar, par diua deabus,
Gloria præsentis sæcli, lux, fama futuri,
Spe maior, fama melior, virtutibus vna,
Vna meam minuens musam, superansque cothurnum,
Elizabetha omnes superans, atque omnia, salue.

Eiusdem ad eandem Iobiados inscriptio.

DIua potens sceptri, solioque beata supremo,
Moribus, & forma, pietate, & acumine pollens,
Et populo per amata tuo, memorata per orbem,
Principibus prædiues auis, & sanguine celso.
O multum venerata mihi, venerandaque semper
Huc ades, & placidos huc, optima, confere vultus
In Iobum, & Iobi memorabile conspice fatum.
Huc ades, affulgeque tuo Regina clienti:

Et ſacra verſanti generoſa Brytanna Brytanno.
Dum fera ſemianimum lacerabant ſciſmata mundum,
Tuque tuis pacem dum vindex aſſeris Anglis,
Hunc ego te magna cecini ſub principe Iobum,
Diua veni, & ſanctis fælix adlabere cæptis.

Adeandem, cum Cantebrigiam veniret carmen pro Acadæmia protentum, & delatum.

Dicite io vates, & io bis dicite vates,
Eliſabetha venit, nil niſi dicite io.
Dicite io regina venit, regina moratur
Sedibus in noſtris, nonne ſonatis io.
Auditæ vocesque hominum, fremitusque tubarum,
Iupiter e cælis dicere viſus io,
Cernimus heroes, rutilas ſatrapumque phalanges,
Cernimus & veram, plebe ſtupente, deam.
Clamat io, pandatque vlnas Acadæmia lætas,
Acclamant villæ, compita, rura domus.
Dicat io crebris pulſatus vocibus æther,
Quamque poteſt late perſonet axis io,
Explicet exangues rugas querebunda ſenectus.
Fausta dies, faſtis adÿcienda dies.
Sancta dies, intacta dies, caritura ſenecta,
Cælicolis magnis magna colenda dies.
Dicat io, quicunque ævum ſuperauit iniquum,
Coelite, qui gaudet Principe, dicat io.
Nunc pater omnipotens oculis nos aſpicis æquis,
Nunc ſumus ergo tui, nunc reſonetur io.

DE

DE EDMVNDO GRINDALLO

VITÆ SANCTIMONIA, ET LITTERARVM FAMA ARCHIPRÆSVLE CELEBERRIMO, deque eodem in Cantuariensi Archiepiscatum suffecto, & inaugurato.

Carmen Heroicum, cum Iambico puro.

PATRIBVS ingenuis ortus cunabula bella
Habebat, & satis perampla initia.
Cumbria quẽ genuit puerum, finxitque tenellũ,
Et educabat vt latina diceret.
Cambria mox aluit, Sophia & ditabat honora,
Et artibus magistra dulcis imbuit,
Hæc domus exultat tanto Pembrochia alumno,
Et illius patrona corda concolit.
Hunc herus inde vocat dius Ridleius in vrbem,
Vt intonando sacra vulgus instruat.
Illius ornaret totos & vt ore penates,
Deique monstret acta celsa seruolis.
Postque probis claram meritis sublatus in Aulam
Nitore vitæ, & emicabat actibus.
Dumque Edoardæi florebant tempora fati,
Sacella triuit insolens cupidinis.
Et regi fuit à sacris, cursusque modesti
Tenore perstitit petendo temperans.
Caularum non ille procus, raptator opima
Prædendit ære nullus ille ouilia.
Non cupidus praui viscatus labibus æui
Emebat vlla templa moribus nocens.
Quæque petunt alij, potius tulit ille negando,
Fuitque norma vitæ agendæ is inclyta.

Anglorumque ſuo vixit prælustrior orbe,
Probus miniſter, & magiſter vtilis.
Poſtea Euangelij nimium gliſcente ruina
Maria fudit in fugam remotius,
Tum Tigurum vidit doctum, celebremque Geneuam,
Locos, ſcholas, patres vbique & optimos.
Extera per mundi cumulabat regna decores,
Amanda fixit, & fouenda fœdera
Cum grege doctorum pulchro, nitidaque corona.
Amicus aureus, probatus, integer,
Poſtea tum Papæ fatis vergentibus Anglum
Solum petit ſuum redux, vt incola
Troianouantææ præſul præſcribitur vrbi,
Deus, Deus, greges quis egit aptius?
Præſide cum noſtro quis ſit certare regendo
Iberus, Anglus, vllus aut quis Italus.
O ego ſi poſsim tam raras dicere laudes
Tuas, regendo vincis ô pater, pater.
Non ego ſum, non ſum nimijs affectibus eger,
Et hoſtis omnis hoc tuus fatebitur.
Elſabetha Eboras tandem transmiſit in oras,
Et Archipræſul anteibat auctior.
Ampliſicat ſolitam ſolerti pectore famam,
Nec ille gente, nec loco ille degener,
Demeruit populosque rudes, finxitque perita
Manu proterua corda, bile turgida.
„ *Scilicet abſimilis non eſt ſibi viuida virtus*
„ *At vniuſmodi refulget ignea.*
Grindallo bona laus ſtabit ſiue ibit ad Indos,
Vel ad gelu renexa regna frigida.
Elſabetha iterum noſtrum tranſuexit ad orbem
Pedum capitque Cantium pater pius.
Quot preculis hominum quot votis ille rogatus?
Is, is redibat expetitus omnibus.

Aurea

Aurea diuinis cit princeps gaudia ſenſis,
Triumphat Aula tota, tota patria.
Subſultim pede plaudit ouis paſtore reducto,
Ouant lycæa deſtituta præmijs.
Alma fides ridet, bonitas pietasque iocantur,
Et ipſa templa lætiora promicant.
Aſpice lætantes aras, & pulpita grandi
Alacritate mota ſedibus ſuis.
Hæc eſt illa dies faſtis tribuenda diebus,
Referta laude, perbeata commodis.
Hactenus auguſtè curſus tibi ſcæna peracta,
Refuſa luce ſemper orbe iudice.
Sic pater adcerta porro, ſic claude theatrum,
Dabunt & hoc, & ſera ſæcla Plaudite.

AD DOMINVM ROBERTVM DVDLEIVM COMITEM LEICESTREN: HEROEM ILLVSTRISſimum, & celſum, herum, & patronum ſuum, ſe verè nobile pectus habere, doctorum Męcenatem ampliſſimum eſſe, deprecaturq; vt pergat.

Si quid agat, quibus aut terrarum degat in oris,
Qui tuus eſt totus, Mæcenas, ſcire laboras:
Hic inter gelidas vbi ſe Luuetia montes
Occulit, & ſaturis miſcetur ſuauiter agris,
Hic vbi per populum Baro ſe Buckhurſtius omnem
AEquanimum præſtat, nec non mihi numen amicum,
Hic moror: & meditor magnum verſare Iuellum,
Hardingumque ſimul, Latias curriſſe per vrbes

Quo poterint, oculis ſtat eos vulgare remotis,
Teque, decusque tuum venerans: ſum multus in illo
Vt tibi laus creſcat, quamuis faſtigia lætus
AEmula vicinis famæ iam conſeris aſtris:
Tu tamen hinc ſurges, factoque ingentior iſto
Euades, calamoque meo, patrone, niteſces.
Ingenij, fateor, dos eſt non maxima noſtri,
Si decus at clarè, fulgens Dudleiave virtus
Mi memoranda foret, non quis, me vate feretur
Grandior, haud Scotus, Dannus, flauusue Sueuus,
Italus aut Gallus, non ampulloſus Iberus.
Haud mihi inexpertum eſt Magnatum dicere mores,
Ac te, virtutesque tuas adeone retuſi
Pectoris eſt quiſquam, qui non cognorit ad vnguem?
Te ſenſus ſemperque boni, mentisque benignæ
Temperies celſum ſera in præconia tollent.
Non vi victus opum, lucriue cupidine tortus
Congeris aſtutis inhonora æraria damnis,
Nec diſcis ſimulare fidem, mentéſue minaces
Subtegis, aut cautas nociturus præſtruis iras,
Conſtantem, cordique parem componere vultum
Suetus, & illuſtri pertractans publica fronte.
Reſpuis offenſas facilis, tu ſontibus vltro
Ignoſcis, nec bile fremens immobilis inſtas.
Officij pariter magni, pariterque minoris
Es memor, & nunquam maleſuado murmure flexus
Alliceris veniente nouo ſpreuiſſe priorem,
Corde ſub arcano ſollers benefacta fouere.
Tu decor, & fidens iactatis anchora Muſis,
Quique potes nutu cantantibus addere calcar,
Quique bonus doctos inopes, & ad ima retruſos
Eruis è populo, tu, quos iniuria præceps,
AEmulus aut liuor veteri de ſorte remulſit,
Aſſeris in ſolidum, tu tempeſtatibus actos

In vada fers, cultumque iubes, nomenque reuerti:
Te sine dedecores tacito torpebimus æuo,
Tu pater, & nitidis fautor non futilis ausis.
Surgite calcata, quas proterit ambitus, artes,
Crescite virtutes, alacres florete Camenæ,
Vos Dudleia domus veneratur, sospitat, ornat,
Vos Dudleius amat, vobis Dudleius amari
Dignus, & in laudes faciendo flagitat ora.
Hæc est illa domus, doctorum mater, & altrix
Hic patet ingenijs campus, pulcherque merenti
Stat fauor, & crebris decoratur gratia donis.
Salue augusta domus, celebres saluete penates,
Tuque operum saluete Comes memorande proborum,
Nobilis, ô, vere, bona quæ sparguntur in omnes
In te mista fluunt, & quæ diuisa beatos
Constituunt, tu iuncta foues, tu prodigus altis
Luxurias meritis, toties frondensque renata
Nobilitate viges, vimque æquas mentis olympo.
Aurea iucundum sic Elisabetha per æuum
Degat, & immensos regnando compleat orbes:
Sic valeat frater, bellæ viuantque sorores:
Sic redeat toto laudatus ab orbe Philippus,
Spes generis tanti, præstans Sydneia proles:
Sic tua perpetui stent florida tempora fati.
Macte animis heros, progressibus vtere faustis,
Sis bonus & felix doctis propelle procellas
Inuidiæ, scitasque artes in tuta repone.
Numine debella bardos, sciolosque coerce,
Sis prosper musis, cælo te musa beabit.
Tu Dudleius eris, semper tua fama micabit,
Sic tua certabunt riuales nomina docti.
Ambiet auratis rutilans te gloria pennis,
Inclytus & laudum mundi voluêre per aures.

Ad selectiores aliquot proceres Eulogium, vt Iobiada suam ad Reginam deferant.

D. Leicestren: & Burghleio.

TV Dudlæe potens, & tu memorande Cicille,
Inclyta quos virtus apices conscendere rerum
Egit, & in summis celsa Elisabetha locauit:
Ambo fælices, fatis fulgentibus ambo,
Ambo delitiæ regni, vos pectoris ambo
Pectora Reginæ, mæcenatesque benigni
Doctorum, pulchris virtutibus ambo priores.

Comes Oxoniæ.

Oxoniæ tu, vere, comes, qui vere iuuentæ
Flectis equos gyris, & nil propè linquis inausum,
Qui Martem, & Musas tenero meditaris ab vngue,
O decus, ô, nostrum patriæ spes magna Brytannæ,
AEmula qui Regum pulsurus es arma potentum
Forte tuis Anglis, socero vel digne Cicillo.

Comes Sussexius.

Sussexique heros, quem docta vienna loquentem
Audyit, & letis laudauit garrula libris,
Quem tremit æternum conterrita Scotia bombis,
Expalletque ducem durum contra arma frementem.

Baro Buckhurstius.

Tu, Baro Buckhursti, tot maxime dotibus oris,
Gallia prælustrem quem scit, celebratque legatum,
Anglia quem memorat quem viderit Itala tellus,
Tu potes heroos pulchre fabricare tenores,
Tu polis artifici carmen venerabile lingua.
Fortunate heros, non tu sine pectore corpus,
Nobilite virens & nulli mente secunde.

Baro Effinghamius.

Carole magnates inter gratissime multos,
Comis, & ingenua mentis probitate benigne.
Principis ad nutus properans, famuleris in Aula
Si iubet hæc nitida, fidus famularis in Aula:
Ceu bellare solo: primus præcurris in hostem,
Ceu pugnare mari: primus conscendis in æquor.

Knolsus miles.

Knolse bono pulchrum cui nil nisi constat honestum,

Ingenio

Ingenio pollens, doctâ polentior arte,
Pro Christoque meæ qui munis verbera linguæ,
Tu Sidnæe ducem, quem laudat Hybernia clarum, Sydnæius miles.
Poplite submisso quem Cambria tota veretur,
Cui pulchrum ingenium viret, & qui plurimus ore
Grata refers oculis, cui frontis Martius horror,
Cui tuus accrescit similis fulgore Philippus,
Acta boni patrui æquabit sorta Roberti.
Smythe per æternos famam sensure decores, Smythus miles.
Smythe iubar nostrum musarum cultor
Scitarum vigilans, & doctis doctior illis.
Christophere, ô, celsæ maiestas, & nitor aulæ Christophorus hattonus regij satellitij præfectus.
Quem meruit tabulis depingere solus Apelles,
Praxilidesque vnus viuis animare metallis,
Pigmalion Saxis, Maro versu, Tullius ore.
Hennagique animi merito pars maxima nostri, Hennagius.
In casus, ô, prone meos & prompte iuuare.
Vestra iuuat claris subtexere nomina chartis
Eulogijs laudare bonis, & pauca precari.
Vos belli proceres nostra ardua facta probate,
Atque operi nostro mentes præstate patronas,
Et vos, & quicunque aliquid generosius ausint.
Ac aliquis vestrum Iobiada deferat illi,
Illi qua supera viuetis clarius omnes,
Illi qua extincta spirabitis egrius omnes.
Illi se dono cui dat mea Iobais vni,
Illa ô longæuos viuat præfulgida soles.

De delata sua ad Reginam Iobiade.

QVum dederam Iobum Dominæ, regnique magistræ,
Adstitit Ormontus, Burleius mentibus ingens
Multa prius mecum de religione locutus,
Milleuiros laudat quod nuper voce notassem,
Suggestoque horum fregissem fortiter Ausus

Legit & ipſe libri partem, tradíque iubebat
Reginæ, docti dixitque opus eſſe poetæ.
Tradidimus pariter nobiſcum Ormontus, at illa
Durior excepit, nam tunc me credidit vnum
De grege Milleuirûm, ſed mox edocta quis eſſem
Os ſimul immutatque, & vultibus hæſit amicis
Intuitu ſcripti, lecturamque omnia dixit,
Edidit egregias voces & ditia ſpondit,
Et legiſſe quidem dixit Vilſonus, & eius
Arriſiſſe ſatis quæ legerat omnia menti.
Vilſonus rutila qui nunc conſpectior Aula
Eſt meritis mentis, muſis elatus honoris.
Clarius hoc dixit Volleius, & iſtius ergo
Dudleio me dat, celſo inſinuatque patrono.
Ingenuus Volleius, & optimus, & probus autor
Me locupletandi, ſed ego ſum plumbeus ad rem.
Quique magis mallem modicum componere ciuem
Paupere ſub fato, quam diſcere poſſe rogare.

AD DOMINVM BVRGHLEIVM HOROEM SAPIENTISSIMVM, ET HONORATISSIMUM tum cum Iobiada ſuam patrocionio ſuo deſtinaſſet.

OPTIME miratis Burlai dotibus aucte,
Clare diu varijs nequicquam caſibus icte.
Stare loco ſtabilis, rerum & ſuperare ruinas,
Quique toga ſapiens componis nubila fata,
In placidumque vocas, & ferrea flectis in aurum.
Excubiasque graues magna pro principe voluis,

Commoda

Commoda qui patriæ versas in imagine multas,
Cui valet in causis cor inexpugnabile rectis,
Cui viget & mundi mens immersabilis vndis,
Has cape tam tenues, gratas nec desere laudes.
Accedat famæque tuæ protectio Iobi,
Neue stupe coeptis, vatem neu rere retentem,
Sponte sua latuit me non prodente poeta.
Iobus erit Iobus vix, vix nisi verba theatri
Personet, Hebræa referátque tonitrua linguæ.
Te sacra Musa petit dominum, prensátque potentem,
Et nisi te tanto subpallet præla patrono,
Si potes, hæc oculis vel saltem conspice summis,
Namque tuo vultu stat confidentia facti,
Astrue spem facto, diuina beáque canentem
(Magne) patrocinijs, valeat, te vindice, Iobus.

Ad Matthæum Parkerum, Cantuar. Archiepisc. illustrissimum ne in obitu Matthæi filij senectutem suam nimium maceret, & excruciet.

DEsine lamentis superari numina posse
Credere, non rerum sic redditur irritus ordo.
Hei mihi non oculis vita est reparabilis vdis,
Nec fatum flectunt qui flectunt plurima, flentes. »
Nec pater extincta dum tu tua funera prolis »
Oblachrymas reducem poteris fecisse dolendo.
Stat lex alta Dei mortalia singula carpi »
Interitu, perferre decet, quæ ferre necesse est. »
Ibimus, ah, properi, iam iam soluemur, & omnes »
In gremium functi dabimur telluris auaræ, »
Fælix, ô, nimium fælix, qui corpore fluxo »
Tollitur, & poterit resoluta viuere mente. »
Amplius, ô, fælix, diuisque similimus ipsis »
Cui licet ætherei consortia grata parentis »
Vsurpare oculis, diuinas ire phalanges »

» *Inter, & in nitido cæli supereſſe theatro.*
» *Terricolæ genus infælix & ſylua nocentûm,*
» *Queis damno eſt vixiſſe diu, quos obruit auctum*
» *Crimen, & infeſti ſcelerat fæx putris Adami,*
» *Tabificus quo liuor edit, quos concutit ira,*
» *Præcalidus vexat ſanguis, lis nudat iniqua,*
» *Gloria dementat, cruciat ſitis acris habendi,*
» *Vis agit in præceps, ſpes fallit, frangit egeſtas,*
» *Quorum corda dolor miſer exeſt, fæta malorum*
» *Sors premit, & nocui longa inclementia fati.*
» *Horrida mors viuis ſupereſt, ſpes alma ſepultis.*
» *Non ſopor æternus protritos pondere terræ*
» *Vrget, at extinctis remeabit gratia rebus,*
» *Vita redit lætho, nec ſi moriamur in herba*
» *Flebile ſit facinus, rerum conſultus Ioua*
» *Sic mala prolixæ fallit inaſcentia vitæ.*
» *Pignora nulla diu ſunt lamentanda parenti,*
Sancte pater, nam præco vetat, ſacra ſcripta refutant.
Hic, hic ſiſte precor non ô lugubria fruſtra
Pectore proporta, genio proh parce labanti,
Laudatamq́, alacer certa producere vitam.

De Gregorio Nazanzeno cum eius Epigrammata in Britannum ſonum vertebat.

GRegorius ſanctus pulchri præceptor honeſti
Hæc cecinit Graia carmina ſancta lyra.
Gregorius recte, non ille gregarius, ergo
Hunc ſummè ſummi ſic coluerue ſophi.
Græcia magna ſuum magnum nunc verſat alumnum
Si populo pietas ſit, probitáſue ſuo.
Orator, doctor, vates, facundior alter
Haud fuit, haud nunc eſt, credo nec eſſe poteſt.
Vix vidit quidquam præclarius auricomus ſol
Ingenio plenus, plenus & ille Deo.

Credite

Credite Gregorium, lectores, versibus istis
Paucis, & paruis plurima magna loqui.
Spectetis numeros, numeris vel numen in ipsis,
Omne tulit punctum, judiciumq́, bonum.

Ad eundem.

Carmen Bicolon tretrastrophon.

Dvlces docta modos loqui
Dum Christum celebrat Calliope tua,
Dum tristis querulo temporis, & loci
Defles carmine crimina.

Præstans dum quatitur chelis,
Dum certas fidibus non triuialibus,
Dum fundis numeros nobilis, ô, bonos,
Vincis maxime Gregori.

Primæuos superas viros,
Et Maya genitus, Linus & Orphæus,
Alcæi taceat barbiton optimum.
Vincis barbiton Alcæi.

Dum pascis domini gregem,
Est ποιμὴν tua sic cignea, ποτνία,
Dulcis, dulcior es, mellibus Atticis,
Claris clarior omnibus.

Fundos flumine dum rigas,
Dum cogis pecudes montibus Israel,
Et dum manna fluit faucibus inclytis
Fauces mella creant tuum.

Viuis maxime Gregori,
Lætis, atque bonis edite seculis,
Acris, mellifluus, doctiloquus, pius,
Vincis maxime Gregori.

Ad D. Thomam Buckhurſtium, heroem litteratiſſimum, & illuſtriſſimum, difficilem, & perarduam eſſe cum Magnatibus neceſſitudinem.

NEc facilis res eſt cultura potentis amici,
Nec ſummis placuiſſe viris prouincia parua.
Nam ſeruare modum tepido circumflua luxu
Mens hominum neſcit, nimio ſed turgida flatu
Erigitur, nec vult veteris memor eſſe decoris.
Deſpuit in doctos, & virtus vilior algae ſt.
Vix perpauca cohors horum numerantur in albo,
Qui miſeras artes rebus coluere repertis.
Sic, mihi crede, Ioui ſordet Ioue natus Apollo.
Vnus in exemplum traheris, rarúſque putaris,
Buckhurſti, Muſas & amas, & amaris ab illis:
Teq́ facultatum fœcundus riuus inaurat.
Tu Ioue, tu Phœbo, cælóque beatus ab omni
Tum mundi, tum mentis opes componis, & ornas.
Non te luxuries iocunda fronte fefellit,
Nec tam ſynceros habitat caligine ſenſus.
Ingenij ſtat ſaluus honos, flos pulcher honeſti
Edurat, mentíſque viget bona fibra benignæ.
Seria ſeu ſcribis, ſeu condis amabile carmen
Seu ſocci celebras riſum, planctúmve cothurni
Summa canis ſemper, figendáque ſenſibus edis.
Nec tenues alios naſo ſuſpendis adunco
More hominum, nec inops probitas, te iudice, ſpreta
Aut calcata iacet, nec diues inertia ſurgit,
Accedit laudique tuæ prudentia, candor,
Et verbis immota fides, nec flexile pectus
Arbitrijs populi, veteris veſtigia recti
Te decorant, ſine labe domus, lætique Penates,
Imperioſa quies, tranquilla, & amica poteſtas,
Tamque diu nulla vitiatum nube ſerenum,

Hæc

Hæc noua multa tibi cudent commercia honorum:
Es fælix, prolemque tuam tua fata sequentem,
Iucundum stabili seruantia lege tenorem.
Syderius puer ille tuus, tuà cura, Robertus
Magnus erit mentis, votumque implebit Auitum.
Tunc ego, tunc certè si fas finire labores
Hos mihi sit cæptos, si rus mihi cesserit almum,
Si non segnis ager, patulæ si tegmina fagi,
Si saxi fornix, & puræ murmura lymphæ,
Grata quies, & pax non deficiente crumena:
Fando aliquid rite agrediar, syluasque lacessam,
Et pecudes, & aues, atque omnia conscia cantu.
Te meditans, sobolemque tuam, sedataque fata:
Sic erit, & nostro forsan cantabere versu.
Buckhurstumque bonum mea pagina multa sonabit.
Te mea multiplici tollet facundia voce,
Inque tuas laudes locupleti gutture nitar.
Hic modus, & lex est, & nostri limes amoris,
Si famæ mihi pandis iter, si detrahis vmbram,
Vel bene quid faxis, mea sunt hæc munera vitæ,
Hoc ego, vel nullo potero te more beare.

In imaginem cerui vetuli, in eiusdem Herois aula à canibus diuulsi.

PRodigus annorum ceruus, rapidusque viarum
Captus obit canibus, sic sunt mortalia fraudi:
Viuax, nec velox superat sua tempora fati.

Vt vero seligeret quod vellet Baro, Hemistichon illud sic variabam.

VIs viuere nulla iuuabit.
Vitæ nec prorogat ævum:
Nihil est mortale beatum.
Non est sors nostra perennis:

Sic ſunt mortalia fraudi.
Mortalia nulla iuuabunt.
Sic nil mortalia pollent.
Nihil heu mortalia proſunt.
Nihil eſt hic ſorte perenni.
Mentes mortalia fallunt.
Fluit heu ſors vanida rerum.
Ruit heu vis viuida rerum.
Rerum vis fluxa recedit.
Sors omnes curta coarctat.
Sors edomat omnia ſternax.
Fallit ſors lubrica ſenſus.
Ruit irreparabile læthum.
Rerum vigor occidit omnis.
Stabili non ſorte creamur.
Fragili ſic ſorte creamur.
Nihil eſt durabile rebus.
Sic non mortalia conſtant.
Rerum vis interit omnis.
Vitæ ſic occubat vſus.
Nihil eſt non labile noſtrum.
Fugiunt mortalia quæque.
Refugus vigor omnibus extat

Ad eundem ſubiratiorem ſibi factum.

O Decus, ô heros, tantum mihi pectore, tantum
Senſibus, atque ipſis animi conſcripte medullis:
Exhauſtam refoue muſam, Drantamque clientem
Reſtaura in ſolitum, partemque in cordis adopta.
Aſtra polo, mindoque homines, armentaque, terris
Cuncta cadent, male quid de te ſi quando merebor.

Ad eundem de libro epiſtolarum obſcurorum virorum.

SI

SI, Baro, bardum religes libellum,
Nec catus chartas remuis canoras,
Barbaris nugis, neque Prisciani
Dogmata doctas.
Balbus, & bardus liber hic, & omni
Psittico peius latius loquelas
Garrit, ebullit male structa, certa
Deuia norma.
Attamen si te fatuos magistros
Auribus puris iuuat estimare,
Hæc legens grato quatiere forsan.
Ilia risu.
Esto, sic esto, studium relaxa
Acre, iam, iam plus senij ruentis
Attrahis, nullo repetenda pellis
Gaudia voto.
Sat dabit semper miseris dolorum, »
Naufragus mundus, mala vita in omni »
Plura sunt, si quid melius ferat sors, »
Lætior vrge.

Ad eundem velle se plurima, & elucubrata expolire, sed multiplicibus curis vndiquaque destineri, & altis erumnis iam prope expugnatum esse.

NOn Semper neque fraximus »
Fert flatus rabiem, nec sacer ilicis »
Truncus stat solidus loco, »
Euris, atque Notis ictus edacibus. »
Non semper maris impetum »
Fert puppis, spatio carpitur, & feris »
Insani pelagi minis »
Quassatur, refluis mersa furoribus. »
Non semper pede prospero. »
Miles vulnificum per calibem petit »

Duri

» *Duri præmia prælij:*
» *Contis aut iaculis decubat, aut ſude.*
» *Vi diſrumpitur aut lapis,*
» *Ferrum, vel paries prorſus ahæneus,*
» *Et turres adamantinæ:*
» *Iugi nil hominum non labat impetu.*
Sum ſum mox reſolubilis
Tot paſſis, patiendiſque doloribus.
Certè, ſum fragilis, Baro,
Nec caſus valeo ferre tot aſperos,
Sum, non arduus ad mala,
Et damna, & toties orta pericula,
Quæ fallax mihi concitat,
Et gens ſons hominum, capti opibus meis
Curtis, & minimis: dolos
Texunt, ac auidi crimina conſtruunt.
Imperfectus adhuc iacet
Hardingique, Iuellique liber, diu
Quem ſum pollicitus meo
Niſu, atque ingenio iam latium fore.
Et rurſus referendus eſt
Ad fontes genuinos ſacer ardua
Iobus lima, & acumine.
Communesq; locos mente Brytannicos
Plebi parturio rudi,
Qui ſectas dirimant, & mala ſciſmata,
Pancreſton miſero gregi,
Sudore, & vigili marte reconditum.
Et multus rapior libros
Quos finxit Salomon carmine, carmine,
Enarraſſe meo ſemel,
Verſuque Auſonio pangere fulgidè.
Dauidem & numeris patrem
Efformare nouis, ad latium ſonum:

Verbis

Verbis angligenis tamen:
Sic author fieremque, & pater artifex.
Læthi grata dies foret,
Et lætus morerer: conficerem modò:
Sed quis diuiduas poteſt ”
Mundi ac ingenij ſolicitudines, ”
Et curas duplices lacer ”
Hinc, atque hinc animo perpetuò patiſ ”
Vrgens alta neceſsitas ”
Itterrumpit iter ſpiritus ignei, ”
Sors dura eſt hominis probi, ”
Mundi qui minimè pendit inertia: ”
Nam plus ſuccutitur malis: ”
Quanto quid ſatius, ſanctius aut ſtruat. ”
Plebs, rerum arbitra peſsima, ”
Quos plus extulerit, deijcit ad manes. ”
Quotquot mente micant bona, ”
Illos improbulo, & dente petit malo. ”
Felix, ô ter, & amplius ”
Nutritus patrijs qui enituit bonis: ”
Nullis indiguit datis, ”
Nec quēquam rogat hoc, idue petaciter. ”

Ad Dominum Richardum Coorteſium Epiſcop. Ciceſtr. clariſſimum, diuturnas amicitias nullatenus aut egruis dirimendas eſſe.

Carmen Tricolon Terraſtrophon.

O Tu meorum qui fueras diu
Præcordiorum flamma, & amor, pater,
Qui me benignis aſſolebas,
Et patrijs refouere ſenſis.
Quis me quis vnquam gratior aut tibi,
Plus dulcis aut quis vixerat aureos

Longum per annos, tunc amicus
Sæcula quis ſatiora vidit?
Tu dux viarum Cantabriæ nitens,
Solers, & acris cordis acumine,
Me ſemper ad grandes citaſti
Ingenÿque, ac animi triumphos.
Virtute, & annis tu auctior, & prior,
Cautus notaſti ſæcla, homines, decus.
Quæ ſcæna pulchros dat triumphos,
Quæ mihi non peragenda vita,
Te fama victi temporis, & color
Laudatus æui ſuſtulit inclytum
Præconem in Aulam, tum virebas.
Et ſatrapum, & procerum magiſter,
Tunc Dranta Pauli clarui in ædibus,
Et voce fælix vel nimium fui,
Ambobus altas edidêrunt
Tempora conſociata laudes.
Mentes ligatas ſors bona dum tulit,
Illæſa donec fœdera fouimus:
Me ciuitas plauſit tonante:
Regia te venerata celſa eſt.
Maior ſtruebas inuidia decus,
Maior ſtruebamque inuidia decus,
Sic vocibus mundi volantes
Inuidiam ſuperauimus q̃.
Stabamus ambo, par ſatis inclytum,
Monſtrante te tum naufragia, & freta,
Curſusque viuendo vetandos,
Proſperior per honora nabam.
Accenſa poſt quam fax fuit æmula,
Et fotalinguis concaluit malis,
Vtrunque ſanguis peior vſit,
Te mihi, me tibi dempſit ardor.

Conuulſu

Conuulſus hinc eſt nodus aheneus,
Quem tot coëgerunt merita, & dies,
Tam nexus arctatos amoris
Parua petit populari erynnis.
Hinc mundus aſper te mihi, me tibi
Culpabat eger fœderis, & dolens
Tam ſortis optanter potitæ,
Vtile diſſidiumque finxit.
Nobis aſt vllis vtile non modis,
Sic imminuta eſt gloria priſtina,
Fictis ſuſurris ſic male acti
Triuimus obloquijs honores.
Dulce & decorum eſt diligere intime
Me te, magiſtrum mentis & ingenî
Quondam qui eras tam perbenignus
Et ſocius, bonus & patronus.
Dulce, & decorum eſt diligere intime
Te me, qui in armis tyro tuis eram,
Priſca tua edoctus minerua
Et ſophiam, & bona dona fandi:
Bellum, & beatum eſt creſcere copulis »
Hos mentium, quos officia omnia »
Iunctos volunt, ac irretorta »
Stringere vincula nexa amorum. »
Eſt parua vitæ pars ſupera, & volat
Quod reſtat, eheu, præpropero pede:
Prodeſt quid ætatem caducam,
Litibus euiolare longis?
Viues beate, ſi ſolitas tuas
Laudes, & actus æqui pares nouis:
Famam tuam ſors aſſeremus:
Tu veterem recrea clientem,

Ad eundē quod eum iam olim poetā appellare cōſueuit.

Carmen Iambicum, trimetrum, ſc. aſon.

Quid hoc? quod olim me vocaueras vatem
Tum cum canores nullos voce formabam,
Tum cum sophiam versabamque gibbosum
Senemque lectitabam, cum tuo volui
Suasu Pathac, dagges Kamets, Pathac Segol, tsere
Britannæa, hebræa, graia, romana,
Prophana, sacra, prisca, nuper excusa,
Cur me poetam cur, tum quæso dicebas,
Pater, poetam? quid de me spei luxit.
Vates es aptus, & propheta sincerus,
Perplura nam tandem poeta cantaui,
Sed amne nec labra laui caballino,
Me, me poetam finxit ferreum fatum,
Finxit poetam, sed vix conditum, raucum,
Crudum loquendo, elumbem, rudem, siccum,
Hirtum, solo repentem, præsulæ vocis,
Et gutturis minuti, & arte plebium,
Sed verus es, nam sum ceu dixeras vates,
Quod verus es, tua est mens saga laudanda.
Sed vin, pater, vin tu vocarier porrò
Veris veratior, verissimus vates?
Da præsul hoc, aut illud vt diter,
Da, vel para, datis me reddito erectum,
Curtasque sortes ampla, me face immunem
Angoribus, necessitatibus duris.
Virebo vocalis, tonabo diuinas
Laudes, & humanum grandis decus dicam.
AEquabo allobroges, Celtas, vel Hispanos
Et masculo fabor famam sono
Florentium heroum, diuamque reginam.
Alumnus, ô, tuus sæclis refulgebit,
Vates sacer, facundus, comtus, argutus,
Honorus, & celsus, diusque & augustus.
Florebo, florebo: fies verissimus,

Ceu dixerat quondam, poeta prodibo.

Frater Cosmas Pandradios, augustinianus eremita Lusianus ad librum Diegi payuæ Andradij.

DIceris integræ fidei defensio, mundi
Vade age per fidiam comprime, tutus eris
I propera intrepidus, Germanica tundere colla,
Tunde Brytannorum perfida castra ducum.
Corripe sacrilegos si quos ibi cernis Hybernos,
Quas vehis Ambrosias experiantur opes.
Perge Caledonios audens penetrare recessus
Perge per Eoas occiduasque plagas.
Namque vt arundineas eludunt arma sagittas
AEnea, sternuntur fragmina fusa solo:
Sic ea Payuæ firmauit robora dictis,
Vt ea per lecto vis inimica ruat.

Eiusdem Apomaxis calumniæ.

ES liber absurdæ fidei defensio, sontem
Dispudeat patrio limine ferre pedem.
Nec tua Germani, contusaue tela Brytanni,
Nec mundi toties tam retroacta timet.
Calcatique iacent Sadoletus, & Hosius heros,
Ecchius, & sotus, Piggius atque Polus.
Andradi quid poteris libris, quid pandradi libros
Laudibus ornando frater vterque miser?
Scotia vos spernet, reprobabit, & vltima Thule
Andradeon virus, Pandradeonque dolos.
Vtq; ædes recidunt putres de stirpe caducæ:
Mole sua tandem Roma, Papæque ruent.

Ad lectorem ne multa in Iobiade sua inscienter carpat.

HIc tu ne reprehende multa lector,
Verbum nec nimis illud esse durum,
Hoc nec dic nimis esse tu vetustum,

Aut iſtud minus eſſe iam receptum,
Sin quid feceris iſtud vt loquaris?
Docti te ſciolum ſtatim putabunt.
Non hic Dranta nouas ſerit loquelas,
Nec ſi carpſeris iſta, carpis illum
Hic nempe Maro, Naſo, Claudianus,
Lucanus Cicero, Propertiusque,
Flaccus, Sillius, & Politianus,
Hic Plautus, Statius, Terentiuſque,
Præiucundior ille Martialis,
Hic Lucretius, & dicax Catullus,
Facundus Iuuenalis, & Tibullus,
Necnon Perſius, & latiniores
Dicunt plurima: Dranta de ſuo quid
Vix auſus fuit, at labore grandi
Horum verbula rite congregauit.
Prædictum ſatis eſt tibi caueto:
Sorex inditio aut tuo perito.

In Dialecticam Carteri & Setoni.

Πρωτοσοφως *Socrates claris florebat Athenis,*
Tradidit & tenero Logices præcepta Platoni.
Ter doctuſque Plato Socratis dictata magiſtri
Contulit in melius, melioraque paſcua pandit.
Noſter Ariſtotiles voluit ſic dicere ſumma,
Hunc, vt ſummatim, non multum dicere dicant,
Namque ſuos logicos prinauit luce libellos.
Ipſius hunc proprias (fama eſt) contemnere leges,
Eſſe hunc exclamant magnum ſine vertice truncum,
Non ſenſum expedies, non ſi centum tibi mentes,
Non ſi tu poteris centeno gutture niti.
Sed neque ſic ſatis eſt tantum calcare magiſtrum,
Sint tenebræ, ſit difficilis, ſit non caput, aut pes
Vtcunque eſt, certe eſt Dialecticus ille monarcha,

Namque

Namqua ſilix logices eius manſueſcit aratro.
Hoc omnes faſsi cuncti ſimul ore fremamus.
Prophyrius princeps, princeps Dialecticus eſſet,
Sed vix progreſſus verba imperfecta reliquit.
Agricolæ pulchrum eſt opus immortale Rodulphi,
Aſsiduo verſato manu ſtudioſa iuuentus.
Aures, atque animum comptus Perionius opplet,
Res agit, & dictis non deeſt facundia rebus.
Sturmius ornato format ſermone loquentes,
Hic docet, hic diſcit vero diſtinguere falſum.
Ammoniusque, & Matthiſius, non multa loquutus
Pſellus, Alexander, Ceſarius, Hunnius, Hamo,
Arborius, Faber, atque Boethius, Hoſpinianus,
Vallerius, Niphus, & Glarianus, Valla, Philippus,
Gaſparus, & Cruſius, Curio, Trapzuntius æquant:
Quis rectè, quis non, per me ſub iudice lis ſit.
Clictouius balbus nobis Dialectica trudit
Thomas, & Scotus, Tataret, Dorbellaque, Dunſque,
Dicere cum poterint, maiore iure docebunt.
Vtilis aſt Ramus, quaſi ſolus fructifer eſſet,
Protrudit læthos Phœbo ridente racemos.
Hunc exemplorum virtus, hunc finis, & vſus,
Hunc ars, & voces laudant, & lucidus ordo.
Fructibus iſtius rami nil dulcius eſu.
Vilſonus noſtras noſtrati voce loquutus,
Claret adhuc nouitate rei, muſaque brytanna.
Nec, Setone, tuum plane eſt ignobile factum,
Nec Cartere tuum, decus eſt in vtroque labore.
Eſt aliquid doctis ſuccedere poſſe merendo, »
Eſt aliquid ſupereſſe diu poſt funera laude, »
Omnia nec tacito ſimul importare ſepulchro. »
Et palma tu dignus, & hic, & quiſquis in altam, »
Pluribus vt proſit, gnauus diſcendit arenam. »

In Horatium ſuum male excuſum.

QVem Latio ductum fecit mea muſa Brytannum,
Et noſtra docuit poſſe ſonare modo,
Ille meus ſudor Flaccus, mea cura, laborque,
Delitiæque meæ, triſtitiæque meæ.
Calcographi dum ſe preſſuræ ſubdere certat,
Dum prælique ſubit pondera magna grauis,
AEger ſit pedibus, verſus ſenſere podagram,
Claudus & hic numero, claudus & ille ſuo.
Abſentis noſtros ſi tunc manſiſſit ocellos,
Et medicam noſtram fors habuiſſet opem.
Præterit, & non eſt id nunc reuocabile factum,
(Namque coercebit nulla litura mea)
Sic eſt decrepitus liber is meus ante ſenectam,
Officium dum pes non facit ipſe ſuum.
Sic ego ſum damnis etiam violabilis iſtis,
Alteriusque meo crimine crimen erit.
Da veniam culpam faſſo, nil amplius opto.
Nam mihi non cingent laurea ſirta caput.
Tuque meæ muſæ lector ne paſcito taurum,
Namque meum alterius crimine crimen ineſt.

In tumulum coniugis Annæ

ANna Thomæ tumulo iacet hoc vxorcula Drantæ,
Quæ quia bella fuit, placuitque marita marito,
Marmore ſic texit dulci diuinctus amore.

Diſthica quæ interrupta profudit cum moeſtificus intuebatur funus procedere.

ANna mihi triſti nunquam niſi cognita caſu,
Reſque meæ poſtquam male procubuere reperta,
Mutatusque color vitæ, fortunaque trita,
Lenimen prædulce viæ, comes optima vitæ,

O coniux-

O coniuxq́ thori, conſorſq́ bonisq́ malisq́,
Te fleo, te fleo, cui nullis ſuperabile curis
Cor riget, ò ſi tu queis te ſingultibus, & queis
Lugeo te lacrymis, ſpectares, tu quoque multis
Roribus vda fores, dum quem vis ferrea fati
In lacrymas flexit nunquam: nunc victus amore
Anna, tui, totos corrumpo gurgite vultus.
Quis talem tantis non fleret fletibus Annam?
Fortior es fato mihi, viq́ potentior omni.
Nunc omnis cecidi, nullo nunc cardine nitor.

In obitum Abrahami Hartwelli concionatoris, indolis perægregiæ.

HIc Hartuelle iaces, qui vir modo factus obibas,
AEtatis ſi quis vult meminiſſe tuæ
Hic Hartuelle iaces annis, ſenioq́ grauatus
Doctrinæ ſi quis vult meminiſſe tuæ.
Mente ſenex Hartuelle iaces, ſed iunior annis
Sterneris, & ſtertis flebile corpus humo.
Hic Hartuelle diu, nec ſic Hartuelle iacebis,
Mox bonus ad ſuperos namque ferere polos.

De duabus concionibus ſuis ad hoſpitium ſanctæ Mariæ habitis, in theatro apud Anglos concionandi ampliſſimo.

TVnc ego cum Mariæ tractabam pulpita primo,
Grindallus patronus erat, Pauliq́ legebam
Ad templum, lux illa mihi celeberima rerum.
Orabam meditata loquens, tres tractus in horas,
Innumeris coram populis, patriæq́ Dinastis,
Et multa, & multum fabar, nec prendere quenquam
Tot potuiſſe animis hominum tot millia clamant,
O, ego quantus eram mundo cenſore, ſalutant
Grex omnis, ciues denſiq́, ac indice monſtrant

Fæmina, virque vito trusus tritusque refuso.
Calcographi certant quis det mea singula prælis,
Me summis sistunt epulis, commercia poscunt
Innumeri mecum, solum me mente beatum,
Ingentem, rarum, lingua assertantque peramplum.
Corpore mox æger secessi protinus vrbe,
Longius vt vitam traherem, ne laberer herba
In viridi, decora & longum mihi parta putaui,
Factorum memores cives, mundumque futurum.
Post binas vrbem remeabam rursus aristas
Nominis, & rerum spoliis nudatus iniquis.
Pauperior, sed non peior tunc pulpita rursus
Molior, & ritu veteri perplura refudi.
Cumque ego taxabam fraudes moresque malignos,
Ingenium mundique atrox, vt concio sensit
Me miserum factum: solito vix affremit ore,
Nec tantum acclamat, nec tantum vultibus hæsit
Miratrix nostris, gelidas mihi succinit odas.
» *Nam male nummatos resonans suadela decebit,*
» *Diuitijs demptis laudes plebs demet honoras.*
» *Vocibus is fuscus, Zonam qui perdidit, ibit*
Ast ego seu locuples, seu sum deductus ad assem,
Stemue, cadamue orbi, nullus de corde mouebor.
» *Non macer, aut pinguis fiam grege iudice stulto,*
» *Sed propriis egomet modulis me metior intus.*

In Alexandri Neuylli Kettum,

ERgo Neuyllæo vulgabere Kette cothurno,
Tuque furorque tuus, scelus excidiumque tuorum?
Vtque in grande nefas, atque in sua vulnera versi
Plebs hominum ruit, & sociarunt fœdera fures?
Illicet est actum: tutus de nomine puro
Tolleris, famaque niger turbabere cæcos
Ad manes: tu voce viri, tu voce Neuylli

Sordescis,

Sordescis, pollentis opes & numina linguæ
Te vitiant, te, te præstans facundia perdet,
O mihi post nullos, memorande Neuille, disertos,
O docti pars multa chorix eu namque puellos
Ingenio, genio, calamo, sermone puellus
Anteibas, ita virque viros, ita maximus vnus
Omni ætate viges, & nos post terga relinquis.
Nec tua quæ tanto præcellit musa nitore,
Cui triuiale nihil, numquam cui friuola curæ,
Tam modicis flueret venis, inflaret auenas
Tam tenues, fieretque humilis sub iudice mundo,
Te nisi non albi tereret lex ferrea fati,
In peius rerumque vices, & moriger arctis
Imperijs animus flexit, fecitque minorem
Marte suo, veterique bonum de more labore.
Cumque tui valeant humeri, nec ferre recusent,
Et tuus antistes iam non sua iussa suburget.
Sumito materiam Iouio, vel Cæsare dignam,
Desine tu Kettos, atque indiga dicere castra,
Hæc arbusta tace, teque his exsolue myricis.
Tu cane vel reges, vel regia, maxima semper
Magne sona: canor, & florens te gratia fandi
Intulerint cælo, potes, ô, potes esse beatus.
I puer aurato iubeas velentur amictu,
Quæ sua prælustris perarabit cunque Neuyllus.

Alexandro Neuillo amico suo ingenuo, atque omni humanitate perposito.

Quisquis inexpletum seros decurrere in annos
Ardet, honorato, nomen sumturus ab ore,
Ille Neuylleo splendescat Apolline: quisquis
Sons animi, probitatis inops, & degener altæ
Virtutis, nocuis audax occaluit ausis,
Quique miser meruit laniantis dentibus eni

Rodier, innumeris populataq́ nomina linguis
Linquere, longæuæ nec se subducere labi,
Ille Newylleo calamo vilescat, vtroque est
Par: culpare malos: dignos aut tollere laude.
Tu mihi, tu teneris, ita note Newylle, sub annis,
Tu melos, & pulchræ iuuenilis gloria linguæ,
Te studium semper flagrans, te nobilis ardor,
Et decorauerunt cælestis sensa cerebri.
Ac velut emollita foco bona cera calenti,
Antea formarumq́ atque omnis imaginis exors,
Quaslibet admittit facies, & protinus omnes
Fingitur in vultus, rerumq́ capacior exstat:
Sic in multiplices fandi decor inclytus vsus
Flectitur ille tuus, diuiniq́ ætheris haustus
Quodlibet audendi fælix, facer impetus omnes,
Quos velit, egregios fluit obsequiosus in actus.
Certè ego de docto potatus plurima fonte,
Quique hederas potui fronti vinxisse sequaces,
Offulsus meliore Deo: te dispare canna
Tentabam, pronumq́ tuæ me cedere musæ
Sæpe quidem solitum, non vllus, amice, negabo.
Quantus eras tum, cũ memori quam plurima sensu
Eruit in medium, vel cum centena profatu
Extudit illustri tua mens diuinior arte?
Quantus eras, vel cùm, fluuiorum lenè labantũm
Instar ÿt sermo? vel cum neruosior esset
Intentanda acies, & acuti cordis acumen?
Quantus cum tumidis certabas rhetore rostris
Grandia Fulmineo iaculatus verba rotatu?
Quantus, quantus eras semper cum maximus ille
Effingendus erat Cicero, vestigia pressis
Cum signanda notis? dÿ dÿ quam plurimus vsque
Egregias laudes, famæ & decora alta tulisti?
Non tu nullus eras, nec eras non maximus inter

Per-

Pernaßi proceres, & amæni fontis alumnos?
Quin ego qui poteram varias fulgere per oras,
Inſcribique polo meritis, & diuite cantu,
frangebar fatiſque malis, hominumque nocenti
Inuidia: rebus late ſpoliabar: & omne
Viluit in lites ſtudium, vitamque leuandam.
Me malus exedit liuor, me inſcitia lucri,
Me dolus, amißis dubijque in rebus amici
Fortunæ pepulère bona: ſpiſſique cerebri
Fex hominum, fauſto vitæ de tramite truſit.
Heu nihil exhauſta fas quemquam poſſe crumena
Nunc patrare boni: nunc, nunc obiere patroni
Non cauponantes doctorum præmia, Muſæ,
Muſæ inhonoratæ languent, ſquallentque, gemuntque,
Inſipidus gliſcit numerus: nummo geritur res.
O animæ pars grata meæ, generoſe Neuille,
Diuis orte bonis, cui corpore viuida virtus,
Frontis bellus honos, & amicæ mentis honeſtas,
Quæque deos ſtatuunt: ſi quid mea carmina poſſunt
Semper in numeros victute Neuille decores. innumeros victurè
Ecquid & infeſtis iactatus quando procellis
Hæc mecum documenta refers? ſollersue tacendi
Defugis incuruos hominum reprehendere mores?
Tu quoque non paucis iamdudum quaſſe periclis
Pondere nutaſti grandi: te præſulis Aula
Excipit hoſpitijs, ſed ſic vt dicere velles
Noruodicum populum, mitraſque, ſtolaſque, patreſque
Qui peda geſtarunt illic, ita pluribus ille
Mæcenas voluit veſter, quia paruulus indè
Creuerat, & ditem ſcandebat fortè cathedram.
Sic tu, tam lautus rerum memorator herili
Imperio, modicamque vrbem, modicumque ſenatum
Ingenti premis ore: ſeges tibi creuit ab illo
Id populus curet potius, tradantque parentes

Obſcuri gnatis,& muſſet quiſque viritim.
Ingenijs apta eſt hæc area turpiter hirtis
Dicere quot patres,quod ſegnis quiſque ſedebat
Luſtra patrum,quota ſcita dabant,fatuoque popello
Addiderant ritus,vel quot conuiuia ciues
Secum agitant Leti,quibus eſt authoribus orta
Vrbs:quibus & templum:quæ vix ego ſtans pede in vno
Dictarem vetulis,niſi plus vel patribus ipſis
Vrbs,vel ciue ſuo magis increbeſceret orbi.
Nec tamen his teritur tua laus,aut fama loquendi,
Siue canas culices,vox eſt tua cycnea cantu.
Nec ſi grandiſono pangas regalia plectro,
Id ſtolidus pendit mundus,ſatrapæue ſupini,
Sordidulive gregum patres,ita vergit in æra
Mens hominum,ſurdaque cupit diteſcere fama.
Tu tamen vt non ſint pulchræ ſua præmia laudi
Macte animis,muſisque mica,virtuteque fulge,
Mors ruit,& mundi volat irreperabilis ætas,
Sola viret virtus,& vis maiora patrandi.
Actibus auguſtis infer tete arduus aſtris.

Quæſtio prima in comitijs literarijs Cantabrigiæ diſputata anno domini milleſimo quingenteſimoſexageſimo quinto.

Corpus Chriſti non eſt vbiq.

BRentius longo memorandus æuo
Calluit magni ſacra iura Chriſti:
Perperam Chriſti tamen eſſe dixit
Corpus vbique.
Calluit Luther,retulit ſalutem
Rettulit Chriſtum,repulitque Papam,
Fregit,& ſtrauit male ſæuientis
Cornua monſtri.

Fregit

Fregit errores, coluitque lucem,
Ante ſignanus tulit ille palmam:
Quum & audaciter ſatanam Tyrannum
Fregit quantem.
Attamen res eſt magis(ô)dolenda,
Neſcyt magnum columen ſalutis,
Quomodo Chriſtus ſolet vſque ſacrum
Frangere panem.
Credidit corpus ſimul exhiberi:
Credidit, panem ſimul exhiberi:
Corpus & panem, ſimul eſſe poſſe
Scripta reclamant.
Inde turbatus, niſi tradidiſſet
Sedibus multis ſimul eſſe corpus:
Terminos dixit, Domini τὸ σῶμα
Cingere nullos.
Hereſes cernis quaſi fune vecti,
Cernis & caute docuiſſe priſcos,
Si quid abſurdi dabis, inde perquam
Multa ſequuntur.
Brentius certè male ſomniauit,
Ipſe Lutherus titubauit ingens,
Cuncta cognoſci ſua Chriſtus olim
Noluit illis.
Cinglius vidit tenebras relictas,
Vidit, & ſenſit tenebras opacas,
Rebus vt fractis voluit mederi
Concidit enſe.
Lux domus vidit remanere lucem,
Obuiam multis, facile ſequacem
Ενθέοις *libris ſtudijt vetuſtis,*
ἔνθα καὶ ἔνθα.
Veritas luxit radijs benignis,
Vidit, & ſcripſit nequijſſe multis

Oecolampadius.

Σῶμα τῦ χρισῦ εμεναίσε ἀχθὴν
τοῖσι τόποισι.

Augustin⁹. *Corpus humanum nequit esse multis*
In locis: Christi δὲμας ἐσι τῦτον
χὴ πὲρ ἔρδοξον, μὸνον ἀνδρὸς εἶνὰι
Σῶμα λεγοιμὴν.

Basilius: *Corpus aut Christi τοπὸν implet omnem,*
Implet aut certam propriamq́ sedem,
Termino certo nisi possit esse.
ἐσὶ θεῖχὸν

Vigilius. χρὼς Θεῦ *si non teneatur vno*
In loco certo, Deus est κράτις Θ:
Sanguinem, carnem θεὸν esse credis
ὑγέες ἔδεν.

Act. Ap. 3. *Suscipit cælum, Domini τὸ σὼμα*
Cingitur (quid ni?) μεγάροισι Patris,
Spiritus vires tamen vndiquaque,
Fundit opemq́.

Iustinian⁹. *Titÿ fundo stetit arbos olim,*
Arboris radix stetit illa fundo,
Mæuÿ truncum patulosq́ ramos
Fundus habebat.
Arboris quisnam Dominus δίκαιος?
Titius. qui sic? quia mansit eius
Prædys radix: Erit eius, ergo
Arbor, & vsus:
Corpus in cælis, ὅλος ergo Christus,
Numinis vires penetrant abissum:
Sol manet cælis, radÿ sed eius
ἔνθα, χὴ ἓνθα.

Theodoretus. *Numen in terris, neque corpus illic,*
Corpus ἔνθοξον velut ante θνὴτον
Terminos nouit, propriúmque χώρον
Cingitur ergo.

Ciryllus. *Trinitas esset siquidem vel vnquam*

τῦ capax χρωτὸς foret illa quanta,
At capax Chriſtus, capit ille corpus
Fertq́; refertq́;.

Ergo

Claudetur ille terminis,
Vbique non erit vagus,
Diuinitas eſt libera,
Sed corpus intercluditur.
τὸ σῶμα χρισῦ ἰῦ
Οἰκεῖαι αὐτὸν ἔρανὸν.

Quæſtio ſecunda.

Gratiam fides, fidem dilectio ſequitur.

QVid Iudæa dapes, Babylon, quid mœnia iactas?
Quid iuuat hoc meruiſſe decus?
Quid Sampſon gaudes? quod amas, tua gaudia tollet:
Te tua robora magna prement.
Saule retro propera, ferro petiture Damaſcum.
Quam cito corruit altus equo?
Ανθρώπινα iacent ſunt, ô, ſunt numina cœli:
Gratia magna petenda Dei eſt.
Poſſe Deus facit hos, liber quos ſpiritus afflat.
Eſt opus improbitatis homo.
Nil facit ille boni, ſed ſuggerit omnia fœlix
Τῦ μεγαλοῖο Θεοῖο χάρις.
Credere qui poteris, per te qui numina neſcis?
Gratia numinis ante fidem.
Illa beat quos vult, quos vult facit illa fideles:
Prodiga, fontis & inſtar aquæ.
Naſcitur inde fides, dilectio naſcitur inde:
Hæcque piam docet eſſe fidem.
Si volumus, noſtram meritis expendere cauſam:
Obruimur numero ſcelerum
Sola fides liquidis ſuperauerit æthera pennis,

(Sed tamen illa probata Deo.)
Sola fides, Domini si sit substantia Christi,
Quodque semel pateretur homo:
Quodque velit solus, quod possit crimina solus,
Demere maximus ille Deus.
Gratia, deinde fides, dilectio claudit vtramq́;
Filia posteriore loco.

Ἔννεκα ἐλπίδος, καὶ πίστεος ἕννεκα μᾶλλον,
Τὰ τῶν ἀνθρώπων τῷ χαρίεντα, θεῷ.
Ἀνθρωποῖσι βρότοισι ῥέα μειλιγματ' ἀρέσκει,
Φώτες δώς νικᾶ, ἀλλὰ μὴ ὡσδὲ θεὸν,
Δωρεὰ ἠράκλην, κ' ἀτρείδην δωρὲ ἱλάσκει,
Ἐν φρέσιν ἀμφοτέρω παυὲτον αἶψα κότον.
Ἀλλ' οὐκ τάυτα θεῶ μεγαθύμω ἁνδάνει οὕτω,
Διδόμερον μισεῖ, τόνδε δίδοντα βλέπει.
Ὄργανον ἢ πίστις χαρίτος, καὶ συμβόλον ἀυτη
Ἔμμεναι οἶδα θεὸν, πιστυα εἰσδε θεὸν.
Ἔστι χάρις πρῶτη, ἔχομεν μηδὲν θεοῦ ἐκτος,
Κ' ἀυτῷ ἀκεῖν ἀνευ πίστεος ἀδυνάτον,
Ἔστι χάρις πρῶτη, πέλεται καὶ δεύτερα πίστις
Δευτάτη ἢ ἢ ἀγάπη μηνύει ἀνδρὰ καλὸν
Μηνύει ἢ ἀγάπη, ἀγαπησιν πότνια μητὴρ
Πίστις πρωτόγονον τέκνον ἔτικτε φίλον.
Πώμαλα παῖς ἀγάπη χράισμη τῆς μητέρος ἀμφις,
Λυσιτελεῖ πίστις νοσφὶ δε τῆς ἀγάπης.
Πάμπρωτον θεὸς ἀν χάρις, ἀντοτε πίστις,
Ἀναγκῆς ἀγάπη ἣν προέπεμψε τάγην.

Conclusio.

Δ Δῶρον μὲν οὖν θεοῦ πόιησις ἢ καλὴ:
Ρ Ῥᾶρος, μονόστε κυριὸς,
Α Αυτοῦ χάρις μεγίστη, λῶστη, καὶ πρόμη,
Ν Νίν πίστις εὐθὴς ἐσπέτη.
Τ Τέκμωρ φιλανθρωπία σεμνῆς πίστεος
Α Ἅπαντα σεμνὰ συντέλει.

De Iliade Homeri à se inchoata & nisi ad librum quintum producta.

Non

NOn ego plus Delta vertam, cantandus Ieſus
Eſt mihi ſic iubet ipſe magiſter
Grindallus meus, atque animus, ſunt pulpita ſancta
Nunc ineunda, terenda ſacrorum
Vis librûm, mea non poſthac quid muſa ſonabit
Iliadum, leuiterue prophanum.
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus author,
Cætera qui Anglica reddat Homeri
Barbiton ad celſum, lingua poliatve Brytanna
Siue meo, aut meliore cothurno.
Nunc ego Paulinis verſabo biblia tectis,
Sermo mihi ſiet vtve pedeſtris,
Aut verbis reſolutus, erit ſacer omnis, & expers
Nequitiæ, genive prophani.
O ego non poſthac Domini de monte recedam,
Eloquio calamove prophano
Nil edam: mea muſa bonum reſonabit Iouam.
Cuncta prophana, pagana, valete.

In acta Martyrum, Iohanne Foxo Authore

ERgone ſic Papæ potuit vox improba iuſſu
Tam dirum mandare nefas? tot corpora tantis
Contumulaſſe rogis, cineres ſine honore ſepulchri?
Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem.
Permittit gens vlla, pios ſine lege necari,
Totque ſimul mactare viros meretricis ob iram?
Dic Papa, dic quæ te rapuit rabieſque, furorque.
Corpora tam diris ſanctorum exurere flammis,
Funera tot miſcere hominum, tot tollere ciues,
Eruere & toto diuiſos orbe Brytannos?
Dic quid noſtrates in te committere tantum?
Illi, quid potuere quibus tot maxima paſſis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?

An tua quod nobis taxata eſt frausque, dolusque,
Et Πολυπραγμοσύνη, *& amor ſceleratus habendi?*
An tua quod nobis vox non hominem ſonat? ergo
Rite putabamus Papam cacadæmone natum?
An quod cum Chriſto nos conſpirare dolebas?
Quod te cum Chriſto non conſpirare videmus?
Quod te Romanam crebris cum cornibus hydram
Prodimus, vt ſceleris magni, vitiique miniſtrum?
Hinc illud quod ſe verſat, diriſque, miniſque,
Hinc illud quod & hos facibus fumantibus vſit.
Sis miſer, & nulli cuiquam miſerabilis. Huius
Tu cladis tantæ pars magna Bonere fuiſti.
Mactator pecudum Chriſti, diſperſor ouilis,
Triſte malum ſtabulis, & nil niſi peſtima cladeſ.
Vos quoque vos omnes Ihouæ tetigiſſe prophetas,
Et calcaſſe pios numen ſpreuiſſe benignum
Queis iocularе fuit, crudeles ponite mentes.
Iam ſatis eſt (proh) plus ſatis eſt, reſipiſcite ſero,
Sera nimis non vlla dies, nunc diſcite tandem
Diſcite vel tandem moniti non temnere Chriſtum.
Oſcula libetis gnato ne ſæuiat vltor,
Et male vos ſparſos deturbet tramite vitæ.
At vos qui quiduis læti ſuperaſtis acerbum,
Cælicolæ, quibus æternum licet eſſe beatis,
Dulce decusque Dei, Chriſtum quia morte decora
Ornaſtis, clari ſuperi, cætusque triumphans.
Non caro, non mundus, nos vos Turcæ, Papa, Dæmon
Non Phœbe pernox vexabit, ſolve diurnus:
Et vos ô cuncti, ſcanſo qui culmine cæli,
Vaditis ad patrem, terrena mole relicta:
Quid carcer, colaphi, compes, tormenta, cachinni,
Vultus quid nocuere truces? quid tela? quid ignes?
Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum:
Sic vos mactarum ſpectata holocaumata Chriſti.

Interitus

Interitus veſter Domini pretioſus ocellis.
Horum (Foxe) pijs dum tu ſic nomina ſcriptis,
Et mortem, & mores longum diffundis in æuum,
Omnia dum vera repetens ab origine pandis,
Es bonus, & merito multum memorabilis ipſo.
Ergô tu doctis pergis palleſcere chartis.
Nocturna verſando manu, verſando diurna.
Atlas clarorum gnauus, gnarusque laborum
Es ſtudijs dum magna cohors ſua commoda captans
(Auſpice non Chriſto) mundi venatur honores.
Vel tu Romano, vel tu ſermone Brytanno
Scribito, præteriti vel produc temporis acta,
Patre Deo monſtrante viam, data fata ſecutus:
Omne feres punctum, ſic miſces vtile dulci.
Magne Deus, cælique ſator, mundique monarcha,
Quem nos terrarum, tempeſtatumque potentem
Credimus, & ſolum ſcimus venerabile numen,
Aſpicis inſano vexari cuncta tumultu,
Et penitus mundum pacis de cardine volui?
Parce gregi paruo, pacem te poſcimus omnes.
Sis bonus, ô fælixque tuis, vel parcito Chriſto
Cuius membra nimis iam mundus lædit, & odit.
Per tibi dilectam ſponſam, promiſſaque pacta,
Per paſſum Chriſtum, per dulcia pignora paſſi,
Per te, te petimus, dentes confringe malorum.

De ſeipſo apud Horatium ſuum Anglum.

Cælo muſa beat, iuueni ſua meſſis in herba eſt,
Mens mea diuinos ſolers nutrire furores
Se fouet & bubulam pedibus quaſi ſpargit arenam
Sic virides auſis anni, vis inclyta fandi
Sic iubet & florent ſtudium feruorque decorus,
Qui tacitus ſinit ire dies, inglorius annos »
Fortunatus erit nimis, & Ioue iudicat æquo »

Me fati modus immodicus pungitque, rapitque
Dissimilem longè genito primoribus annis.
Nec studij ratio, nec sors est æqua labori.
Vatibus incertis nunc omnia tristia vertunt.
Gestamen laxant humeri, sub pondere ceruix
Nutat, & haud veris me recti sacra cupido
Ludit imaginibus numen prosponsa benignum.
Pulsat & hoc nostras nequicquam forsitan aures:
Non deerunt Mæcenates, sint Dranta Marones.

De principibus sui temporis poetis qui tunc erant superstites.

Georgius Buchannanus Scotus.

OMne genus numeros meliori pollice finxit
Ille Caledonia vates prognatus in ora.

Franciscus Maurus Hispallas minorida.

FRanciscum canit ille suum, pingitque canendo
AEneam Maro ceu magnus, turgetque cothurno

Benedictus Arias Montanus Iberus theologus.

DVlce sonat fidibus moduloque decentibus aptat
Argutos, cultosque lyris imitator Horatî.

Theodorus Beza Vesselius preco Alobrox.

AVsonio scripsit iuuenilia carmina plectro,
Nunc grauis & cantu plusquam vulgaria pangit.

Henricus Stephanus Gallus.

ILle Anacrônteis lusit facundior odis,
Est Graij decus eloquij, fons, riuus, & huber.

Iohannes Parcurstius Anglus, Præsul.

AETernos nobis actis auxisset honores,
Si sua diuinam curasset patria famam

Ioachimus

Ioachimus Camerarius Germanus.

ARgolica potuit certantes vincere canna,
Tyteron, & pecudes dixit, tetricaſque capellas

Michael Hoſpitalis Galliæ Archigrammateus.

MVnere ſublimi celſus, patriæque ſtupendus:
Carmine ſed potuit maiorem condere famam.

Gualterus Haddonus Anglus.

DVlcior, & teriti recolebat plecta tenore
Sed minus is muſis: quanto plus fuſerat Aula

De ſeipſo.

SCire meos caſus quiſquam ſi forte requiris:
Vrbe procul fueram cretus genitore colono.
Increui, & ſtudijs puer hinc ſiſtebar honoris
Grammaticas coluique tribus, & grammata trivi.
Dein Cantebrigiæ non pauca volumina volui,
Et Latio ſcripſi calamo, ſcripſique Brytanno
Vocibus, & nexis, & laxis plurima noſtri
Proque alijs proſtant, mentitaque nomina geſtant.
Aduolo dehinc Aulam, ſed ſum reuocatus & ore
Vix vernans Pauli conſcendi pulpita tectis.
Iunior emicui lector, lateque ſonabar
Vocibus, & noſtro clarebam iudice mundo.
Res maior, ſpes melior, ſpondère beatum,
Sed feſtinatos cecidi ſortitus honores.
Nudabar nocuis nimium deceptus amicis,
Ingenijque hoſtes fecit mihi vena benigni.
Sat vultu laudandus eram, flauusque comarum.
Corpore concreui, turbæ annumerandus obeſæ.
In bilem facilis, mox vt placabilis eſſem,
Vix cautum dixere hoſtes, rerumque ſupinum,
Nec texiſſe catum, nec ſat ſimulare reſictum

Mentis ad illecebras, damnosa & deuia vitæ
Plus pronus, quam promptus eram, stadiumque cucurri
Castius, & nullis merito violabile verbis.
Heluo scriptorum grandis, fælixque premebam
Quod volui sensis, & prodigus ore refudi,
Mox animis syluam rerum simul ipse fouebam,
Edere mox potui, sed mox oblita recentes
Ideas finxit cita mens, pepulitque priora.
Paupertate probus vixi, fluidusque refusa
Sorte magis, sed tot passis ad vtrunque paratus.
Curta dies æui studium mihi demsit habendi.
Omnia post posui doctis summeque peritis
Cardanum, Ramum, Picum, magnosque docendo
Artifices pluris faciebam regibus ipsis.
Musculus ante alios placuit, qui biblia pandunt,
Lucanum colui vatem, summisque locaui.
Ars famam, sed plus tulerat facundia famæ.
Plurima scripsissem, sed me turba improba valde
Impulit in lites, & in alta silentia pressit.
Sæpius vrebar peregrinas ire per vrbes,
Precones visisse bonos, doctosque poetas.
Ferrea fatorum series mihi tanta negabat.
Vitam ago nam semper diuisus ab orbe Brytannus,
Clauditur ingenio cursusque, & gloria fatis.
Allobroges legimus, Celtas versamus alumni,
Et Belgas, regio nostra est quæcunque magistra.
Ingenijs, calamis illos æquamus, & arte,
Scribimus at frustra: nil nostri trans mare currit,
Discipuli tantum, seruum pecus, atque recliue
In ferulas hominum, peregrinaque iussa subire.

AD

AD DOMINVM BVCKHVRSTIVM NON ESSE RERVM AFFLVENTIAM INGENII BONIS ANTEFERENDAM: CVPERE SE ANTE MORTEM suam de Morte ſcribere: peregregium & perhonorificum eſſe apud poſteros ob præſtantia edita facinora bene audire, & famam emereri.

Ode monocolos.

BVckhurſti patriȳs ſplendide copȳs,
Fælix ad faciles edite ſic opes,
Naſcendo locuples, & ſine ſanguine,
Sudore aut animi, aut corporis improbo.
Sortis diuitias (ſis bonus arbiter)
Cenſus dic melius pluris an æſtimas?
Nam dis, doctus, & es, dic age, dic ſibi
An Buckhurſtius, an res ſua dulcior.
Mens, an menſa epulis, arcaq́; nummulis
Inturgens? potis es farier optimè.

FOrtunæ eſſe aias ne bona plurimi:
Tunc Chriſtus miſer, ac omnis Apoſtolus,
Aut oracula qui fuderit enthea,
Complurèſque ſophi iudice te pretî
Nullius fuerint, tunc ego non bonus,
Ad rem plus hebes: at mentis, & ingenî
Fors eſt vena aliqua, hanc ego promptior
Vrgebo, rapidi ſic fuga temporis,
Et deſiderio mens iubet intimo.

FAma muſa beat, vellem equidem, haro,
Plectris Auſonȳs, carmine & Italo
Mortis dicere ius, atque potentiam.
Laudi ſegnis obeſt plus taciturnitas,

Perpulchrum est populis viuere posteris,
Quæ flammat faculis egregios viros
Est mentisq́, bonæ sancta superbia.

NOn omnis moritur qui viret actibus
Mens exculta bonos dicit ad exitus.
Mortales operans, ac caput efficax
Functos ter geminis tollet honoribus
Ad nomen meritis celsius ibitur.

FINIS.

Somnus diurnus est fugiendus.

LVce petita quies miseris mortalibus ægri
Plus feret, & non est vtilis illa quies
Crudior & peior prorsus vesana voluptas
Illa quies certe non erit alma quies
Importuna quidem vires, & munera vitæ
Irrita prosternens lædere membra solet.
Vel quod non puro læthali pure repleta
Coguntur succo luxuriare malo.
Vel quod damnoso suffecta & frigore prauo
Omne genus morbos mille pericla trahunt.
Absurdos habitus dat, degenereq́, colores
Et capiti quicquid tristius esse potest.
At bonus ille sopor quem tempus destinat aptum
Est requies rerum, dulcis & illa quies
Illa cibos coxisse potest, coctosq́, domare
Et domitos quo vult numine ferre suo
Lætitiæ satrix, tetricos mulcere dolores
Non res apta magis, nec magis vlla potens.
Nox humore suo molles inducere somnos
Ritè potest, lassos & recreare viros
Cum pecudes, hominumq́, genus, pictæq́, volucres

Indul-

Indulgent tenebris, membraq́, fessa leuant.
Luce capit clara somnos quicunque diurnos
Ille niuis læno tempore stertit iners.
Lux est apta foro, multis & rebus agendis
E thalamis segnes euocat orta dies.
Auricomus Titan Cæli conuexa pererrans
Dum scintillanti lampade gnauus obit
Fit calor in nobis, fiunt commertia solis,
Fit proprius noster debilis ille calor.
Hinc cibus in stomacho rudis, indigestaq́, moles
Obtinet antiquum, crudus vt ante cibus.
Est lacer & breuis est vetitus sopor ille diurnus
Noctibus est q̃, vdis fictior ipse dies
Morborum fædas formas (vix cognita mostra)
Producit, ructus nunc valuere graues,
Nunc apoplexia, nunc epilepsia, nunc oriuntur
Durities splenis languida pigrities,
Oppleti capitis dolor ingens, tarda podagra
Cætera, quæ sanum vel meminisse piget.

Ergo.

Sopor fugandus noxius
Diurnus ille somnulus
Et pestilens & lætifer
Est abigendus.

Vinum pueritiæ non conueuit.

NOn pueris læti sunt munera danda Liæi
Non est conueniens talibus ille Deus.
Hic vetus, hic grauis est errorq́, & culpa parentum
Qui tribuunt natis bacchia dona suis.
Est ætas multo puerilis fœta calore,
Atque humore suo corpora plena scatent.
Hijs tu si quidquam tantillum plenius addas.

Hinc veniunt mortes, morbus & inde venit.
Fœcundos calices Bacchi si fortè ministres.
Molliculis pueris: ignis igne furit.
Ac veluti quoties siccum depasta fomentum
Flamma vorans serpit: mox cinereſq; dabit:
Aut veluti lucerna micans iam luce coruſca
Materiæ nimia lumine caſſa iacet:
Non aliter pueris si dentur vina tenellis
Infligunt celerem turgida membra necem.
Hæc ætas humiles profert, atque erigit artus:
Hos siccant vno vina Venuſq; modo.
Viuum (lac Veneris) Saturos facit vſque puellos,
Et Saturos fatuos, & fatuos miſeros.
Effera mens horum trepido concuſſa tumultu
Et nocet, & nimium corpora inepta quatit.
Cum vehemens animus rapida motione citatur
Deformes artus, turpia membra facit.
Humectat nimium, nimium tetroq; vapore
Diſrumpit venas, maxima damna ferens.
Ex ſeſe dulces pueri carpſiſſe ſopores,
Et poterunt iuges diſcubuiſſe thoro.
Sic ſatis eſt, quod habent, nec eis tua munera proſunt
Munera (Bacche pater) ſunt inimica tua.
Fit tuber his caput, & vertigine læſa cerebra,
Senſus creduntur ſede monere ſua.
Inde valetudo (nunquam reuocabile damnum)
Conualet, & ſtabile eſt ære perenne magis.
Quo quo diffugias morbi, vel fata ſequentur
Vel tumulus, vel te peßima ſponda teget.

Ergo.

Vina non proſunt teneris puellis
Sed nocent multum pueris tenellis
Hiſce non debent tribui petulci
Dona Liæi.

In

In Præsulem, & Syluam D. Thomæ Drantæ Theologi, & poetæ doctissimi, Iacobi Sanfordi carmina πιξαγλώτικα.

Græcè.

Τῶδε θεόπνευστος λόγος ἐσθ' ὅτι δαίμονα σέργει
Τοῖς προεδροῖς καλοῖς κ' ἄσμαλα καλὰ χέει
Δραύλα διδάσκει τῦς τῦ βήματος ἔξοχα πάντες
Μυσοπόλος θεῖος κ' ἔργμαλα θεῖα δρέει
Ἄξιος ἐσὶ κλεῦς δ' ὁσίος τε μελυδρια ποιῶν
Ἄξιος ἐν δ' ἄθλω, ὥστε νικᾶν Πύθιε.

Latinè.

Præsulibus placuisse bonis non infima laus est
Displicuisse malis, laus quoque magna fuit.
Carmine Dranta potens laude est & munere dignus
Quod docet egregij præsulis officium.
Persius ille placet quia scripsit magna libello:
Hic maiora libro sed dabit exiguo.

Italicè.

Si mostra qui l' vfficio del vescouo
Descritto con gran arte in picciol opra,
Dranta ha dato al mondo vn lume nouo,
Che l' antiche tenebre pur ricopra
Dunque degno è di corona di lauro
Per questo interno et summo thesauro.

Versi Elegiaci.

Fanno le Muse in cuore di Dranta la sedia loro
Pel cui ne l stilo l' ottimo s' aggualia
Questo poeta Britanno è chiaro in verso latino
In qual leggendo gran piacer trouerai.

Gallicè.

Si celuy est digne d'eternelle gloyre
Qui met par escrit grand' chose en grand liure

Cestuy cy doit estre à iamais en memoire
Qui en peu de mots grand chose bien deliure
On ne peult mieulx louer qu'en se taysant
Quand le subiect sur monte le disant.

Vers sapphiques.

GEns scauans engendre la belle france
Drante nourissoit la Bretagne grande
Grand tresor vous en ce lisant receures
digne de gloire.

In Syluam T. Drantæ Ia. Sanf. tetrastichon hexametrum τετραγλῶτικον.

Ἡ Δέσποινα κόρη κλέετ' ἠδὲ Δυδλήιος ἥρως
Tum laudat reliquorum Semideumq́ cohortem
L'utitità con gran piacer pur mescola questo
Donc c'est luy qu'en tout et par tout gaigne la palme.

In laudem clarissimi Baronis domini Buckhurstij & literatorum Mæcenatis Iacobi Sanfordi carmen.

FAma refert & Dranta probat: Buckhurstius heros
Ingenijs summis fautor & author adest
Cum foueat doctos illum pia Musa beabit
Quodq́ parat studio se super astra feret
Faxit vt ille diu geminos sibi iungat amicos
Clarus & ingenio cum genioq́ simul
Sortitur vario præstans idiomate nomen
Rarius hoc aliud terra nec vnda tenet.
Fata regunt mundum signantur nomina fato
Ευτυχίας καλῆς *nomen & omen habet.*

Thomas Didymus, i. geminus. Sackuilla שׂם ne omni pœnè lingua, sic & Villa in varijs linguis idem & eximium quiddam sonat.

Eius-

Eiusdem ad eundem Italicè.

Se' l desio c' hor Sacuilla, per non tritto
Calle, u' infiamma à recender le spente
Virtuti, et honorar cosi equalmente
Apollo, e Marte e' l secol nostro afflitto.

Non verra meno, al valor nostro inuitto
Che pareggiarui homai sicuramente
Ben può, con la felice antica gente
Nullo fia tempo, ò, termine præscritto.

E à quei, che gia perdero, souran pregi
Tempi, therme, trofei, coloßi, et archi
Palme, hedre, querce, allori, oliui, e mirti.

Spreggiando della vil plebbe, i dißpreggi
Per uoi, d' ingiuste, et baße voglie ßcarchi
Ritornerãno i diui ĩgegni e Spirti.

FINIS.